De fabula Meleagrae ...

Reinhard Kekulé

image not available

image
not
available

image
not
available

image
not
available

DE

FABULA MELEAGREA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE IX. M. DECEMBRIS A. MDCCCLXI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

RENARDUS KEKULE

HASSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

L. HIRZEL, STUD. PHIL.
A. KORTEGARN, STUD. PHIL.
G. QUEDEFELD, CAND. PHIL.

ACCEDIT TABULA LITHOGRAPHICA.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

[redacted]

EDUARDO GERHARDO

SACRUM.

Cum mihi constituerim quo modo fabula quae est de Meleagro et a poetis et ab artificibus tractata sit exponere, etiam de antiquissima popularique eius fabulae forma agendum erit, ut quid de suo addiderint detractaverint variaverint vel artifices vel poetae intellegi possit. Neque vero de mythi origine physica, cuius partem explicarunt Welckerus („zeitschr. f. a. k." p. 119 sqq. cf. Schwenk, „andeut." p. 160), Feuerbachius („annali dell' inst." 1843, p. 237 sqq., „nachgel. schr." IV, p. 2 sqq.) Gerhardus („apul. vas." p. 15; „etr. u. kamp. vas." p. 12)[1], eiusve ratione historica, quam O. Muellerus („Dor." I, p. 378) et Gerhardus („myth." I, p. 291; II, p. 162 sqq.) attingunt, quicquam dicam nisi ad genuinam mythi formam enucleandam necesse erit. Nam tales rationes in heroicis certe fabulis nusquam fere neque ad explicanda artificum neque poetarum opera advocandas esse puto.

I.

„Fons totius fabulae" dici solet locus ille Homericus Il. 9, 519 sqq., cuius summa haec est: Cum Oeneus rex Calydoniorum Dianae soli deorum sacrificia non faceret, aper dirus a dea irata in agros Calydoniorum immissus est. Quem Meleager, regis ex Althaea filius, venatorum manu e multis urbibus collecta, interfecit. De interfecti exuviis, dea incitante, contentio fit ac bellum inter Aetolos, Calydonem urbem inhabitantes, et Curetes, quorum principes fratres Althaeae sunt. Avunculos Meleager in pugna necat. Quo facto Althaea incensa diris verbis exceratur filium. Qua re iratus cum Meleager pugnam

[1]) cf. Panofka, „abh. d. Berl. ak." 1851, p. 33. Mus. Bart. p. 70. Inghirami, mus. etr. II, 2, p. 480, 557, 734—754. — De Meleagri nomine cf. Pott „Kuhns zeitschr." VII, p. 129; VIII, p. 432.

relinqueret, Aetoli a Curetibus mox pressi legatos ei miserunt, ut belli socius reverteretur. Sed principes sacerdotesque, etsi multa polliciti, amici pater sorores, ipsa denique mater iratum non commoverunt. Cum autem ipsius aedes ab hostibus iam invaderetur, tum demum Cleopatrae coniugis precibus lacrimisque commotus hostes reppulit patriamque urbem liberavit. Sed tunc nemo ei gratias rettulit.

Haec apud Homerum Phoenix narrat, ut Achillem Meleagri exemplo prolato Graecis reconciliet. Atque apparet ad hoc persequendum totam narrationem ita conformatam esse, ut ex antiquiore eo carmine epico, ex quo Homerica narratio hausta est, ea praesertim proferantur exornentur immo non nulla, opinor, addantur, quae ad Achillis animum commovendum apta sint, reliqua autem consilio retractentur; qua re factum est, ut verba Homerica saepius parum perspicua sint. De qua re et de dispositionis inaequalitate dixerunt Heynius (in Iliad. 9, 523, cf. excurs. Il. 8, p. 521) et peculiari libello Paulus La-Roche („die erzählung des Phoenix vom Meleagros" Mon. 1859); causam rei neuter perspexit. Neque mirabimur, quod ipsa mater filium ut redeat in pugnam implorat

πολλὰ δέ τόν γε κασίγνηται καὶ πότνια μήτηρ
ἐλλίσονθ'· ὃ δὲ μᾶλλον ἀναίνετο.

Nam apparet, matris execrationem ea re levari quod ipsa imploret filium, quod frustra imploret filii culpam graviorem fieri. Eandem ob causam poeta de interitu Meleagri, qui ex matris execrationibus insecutus est, nihil perspicue dicit, sed hanc rem paucis tantum verbis attingit:

τῆς δ' ἠεροφοῖτις ἐρινὺς
ἔκλυεν ἐξ ἐρέβεσφιν, ἀμείλιχον ἦτορ ἔχουσα.

et

τῷ δ' οὐκέτι δῶρα τέλεσσαν
πολλά τε καὶ χαρίεντα, κακὸν δ' ἤμυνε καὶ αὔτως.

Atque hac ipsa poetae virtute factum est, ut nos accuratius statuere non possimus, quo tandem modo ex matris execrationibus Meleagrum perisse fingat; etiam Il. 2, 638 sqq. copiosius nihil dicitur. Sed hoc quidem versus modo laudati quam certissime demonstrant, in illo carmine epico, ex quo rhapsodus Homericus hausit, ex matris execratione perire Meleagrum. Apud epicos autem posteriores hanc execrationem aut prorsus evanuisse aut nullius fere momenti redditam fuisse

docet Pausanias X, 31: *ἐς δὲ τοῦ Μελεάγρου τὴν τελευτὴν Ὁμήρῳ μέν ἐστιν εἰρημένα ὡς ἡ Ἐρινὺς καταρῶν ἀκούσαι τῶν Ἀλθαίας καὶ ἀποθάνοι κατὰ ταύτην ὁ Μελέαγρος τὴν αἰτίαν· αἱ δὲ Ἠοῖαί τε καλούμεναι καὶ ἡ Μινυὰς ὡμολογήκασιν ἀλλήλαις· Ἀπόλλωνα γὰρ δὴ αὗται φασιν αἱ ποιήσεις ἀμῦναι Κούρησιν ἐπὶ τοὺς Αἰτωλούς, καὶ ἀποθανεῖν Μελέαγρον ὑπὸ Ἀπόλλωνος.* Quibus narrationibus epicis longe diversam famam hisce verbis distincte opponit: *τὸν δὲ ἐπὶ τῷ δαλῷ λόγον, ὡς δοθείη μὲν ὑπὸ Μοιρῶν τῇ Ἀλθαίᾳ, Μελεάγρῳ δὲ οὐ πρότερον ἔδει τὴν τελευτὴν συμβῆναι πρὶν ἢ ὑπὸ πυρὸς ἀφανισθῆναι τὸν δαλόν, καὶ ὡς ὑπὸ τοῦ θυμοῦ καταπρήσειεν αὐτὸν ἡ Ἀλθαία, τοῦτον τὸν λόγον Φρύνιχος ὁ Πολυφράδμονος πρῶτος ἐν δράματι ἔδειξε Πλευρωνίαις·*

κρυερὸν γὰρ οὐκ
ἤλυξεν μόρον, ὠκεῖα δέ νιν φλὸξ κατεδαίσατο,
δαλοῦ περθομένου ματρὸς ὑπ' αἰνᾶς κακομηχάνου.

οὐ μὴν φαίνεταί γε ὁ Φρύνιχος προαγαγὼν τὸν λόγον ἐς πλέον ὡς εὕρημα ἄν τις οἰκεῖον, προσαψάμενος δὲ αὐτοῦ μόνον ἅτε ἐς ἅπαν ἤδη διαβεβοημένου τὸ Ἑλληνικόν.

Triplex igitur de morte Meleagri fama prodita est; quae antiquissima et genuina sit nobis quaerendum est.

Ac primum quidem nemo unquam negavit, famam epicam posthomericam, ex qua Meleager ab Apolline in pugna interficitur, ab ipsa Homerica profectam esse, qua ex matris execrationibus sive in pugna seu post pugnam perisse fingitur; sed etiam famam de titione fatali, quam Phrynichus tractavit, ita ab Homerica manasse, ut vel ad eam supplendam vel exornandam titionis fatalis combustio execrationis vice addita sit, omnes fere qui de hac re egerunt, Heynii (in Il. 9, 559) et Welckeri („griech. trag." p. 22) auctoritatem secuti, statuendum esse putarunt; quanquam sponte apparet, si combustio titionis execrationis vice fungatur totam narrationis Homericae partem posteriorem, quae Achilleidis similis est, necessario omitti.

Unus Feuerbachius[1]) titionem iam antiquissimae mythi formae tribuendum esse opinatus est. Atque hanc Feuerbachii opinionem

[1]) l. l. „nachg. schr." V, p. 11: *„dennoch kannte der dichter (Phrynichus) den feuerbrand, welcher, obgleich den gesängen Homers fremd, demungeachtet, wie es scheint, von den frühsten zeiten an, eins der wesentlichsten elemente des Meleagermythus bildete."*

rectissimam esse, etiam neglecto Pausaniae testimonio qui famam a Phrynicho advocatam dicit popularem, ipsa fabularum natura et indoles, nisi fallor, satis luculenter declarat.

Nam quo modo e prisca fama populari, ex qua mater ipsa titione combusto filium necat, mitior fiat Homerica secundum quam execratur filium — ita ut terribiliori facinori prioris fabulae execratio posterioris, ut ita dicam, tanquam imago resonare videatur —, hoc quidem intellegi potest; contrarium non item.

Atque commemoratu non indignum puto, quam mythi formam ex ipsis fontibus Graecis antiquissimam esse vidimus, eam et in Italica[1]) ĕt in Norraena[2]) mythologia videri reperiri.

Putabimus igitur, antiquissimis carminibus Aetolicis eam fuisse traditam mythi formam, qua Althaea, ut fratris caedem ulciscatur, titionis combustione filium necat.

Quae prisca mythi vis ac ferocitas, quo magis ars epica excolitur, eo magis extenuatur et mitigatur, ita ut in Minyade et Eoeis nulla eius rei vestigia sint.

Genuina autem mythi forma in ore hominum servatur et praestantia sua poetica perspecta in artem tragicam inducitur, a Phrynicho.

Non liqnet, num in carminibus illis antiquissimis bello demum incepto parricidium a Meleagro patretur, an iam in venatione. Crediderim equidem ex more talium fabularum genuinarum, una illa caede eiusque ultione vel pugnam physico-mythicam significari vel

[1]) cf. Pseudo-Plut. parall. p. 239 vol. VII ed. R.; totam eius fabellam genuinam putat Klausenius, Aen. p. 962; quod tametsi ei non concedas quia Silviae amor Atalantam Euripideam redolere videatur, tamen eam fabellam ab antiqua quadam Italica profectam esse, et nomina declarant vere Italica et commemoratio hastae quae ad Martem apud Italos symbolice referri solet. (cf. Preller „röm. myth.“ p. 299 sqq.). Et opinor, eam famam fuisse Claudiorum famam gentilem. cf. Plut. Aem. 2. Num. 8.

[2]) Sögupättr af Nornagest. p. 314, 340. Hanc enim narrationem ad antiquum quendam mythum Germanicum recte revocasse mihi videtur G. Mannhardtus („germ. myth.“ II, p. 516, 592 sqq.). Verum etiam si G. Wackernagelio (Haupt „z. f. d. a.“ VI, p. 280 sqq.) concederetur, illam fabellam ex Ovidio manasse, parum in nostra analogia impediremur; nam ipse Wackernagelius statuit, opiniones fabulae Meleagreae simillimas semper viguisse apud Germanos, huiusque rei multa attulit exempla.

pugnas historicas, quibus Curetes, priores Aetoliae incolae[1]), ab Aetolis qui postea immigrarunt tandem victi cum victoribus in unum coiere populum. Neque obstat Homerus. Nam is non populorum duorum pugnas narrat, sed inimicitias duarum urbium vicinarum principumque earum, atque non nulla ab Homero addita esse iam vidimus.

Rhapsodi vero, quos constat Achaeorum honori consuluisse, priore mythi forma, quam dixerim Cureticam, magis magisque abolita, laudes Meleagri, quem gentis Achaicae esse cognati Tydeus Diomedes Hercules satis demonstrant, omni modo exornarunt eumque aliis quoque rebus ab Achaeis egregrie gestis interfuisse narrarunt. Quae res manifesta fit ex Athenaeo, qui IV, p. 172 *E* haec

> .... *Σιμωνίδης ὁ ποιητὴς ὃς περὶ τοῦ Μελεάγρου τὸν λόγον ποιούμενός φησιν*
>
> *Ὃς δουρὶ πάντας νίκασε νέους*
> *δινάεντα βαλὼν Ἄναυρον ὕπερ πολυβότρυος ἐξ Ἰωλκοῦ*
> *οὕτω γὰρ Ὅμηρος ἠδὲ Στασίχορος ἄεισε λαοῖς.*

Nam hoc loco nemo non videt, Homeri nomine carmen quoddam epicum posthomericum significari.

Atque simili ratione explicandum esse puto quod iam apud antiquiores poetas Ancaeo, heroi Tegeaeo, magnae partes venationis Calydoniacae fuisse videntur — nempe constat Tegeam et Clitorem urbes Achaicas fuisse. (cf. Pind. pyth. X, 47; Gerhard „über den volksstamm der Achäer, abh. d. Berl. ak.“ 1853, p. 449).

De Ancaeo quidem schol. Apoll. Rh. I, 188:

> *καὶ Φερεκύδης ἐν τῇ η̄ φησὶ τὸν Ἀγκαῖον ὑπὸ τοῦ Καλυδωνίου συὸς πληγέντα τὸν μηρὸν ἀποθανεῖν*

quam rem Pherecydes sine dubio ex epicis hausit aeque atque id quod de Thersita schol. Il. 2, 212:

> *Φερεκύδης καὶ τοῦτον ἕνα τῶν ἐπὶ Καλυδώνιον στρατευσάντων φησὶν ὑποδείσαντα δὲ καὶ τὴν τοῦ συὸς ἀποκλίναντα μάχην ὑπὸ Μελεάγρου κατακρημνισθῆναι διὸ καὶ λελωβῆσθαι τὸ σῶμα. Ἀγρίου δὲ καὶ Δίας τῆς Πορθάονος αὐτόν φησιν.*

Atque facile intellegas etiam hac fabella de ignavia cognati a Meleagro occisi vim ac ferocitatem vetustioris mythi, secundum quem Me-

[1]) cf. Brandstäter, „gesch. d. ätol. lands u. volks“ p. 4. C. Fr. Hermann, „gr. alt.“ I, p. 28. Dondorf, „Ionier auf Euböa“ p. 41. Pott, „K. z.“ VII, p. 127.

leager avunculum de apri exuviis dimicans necat, mitigatam esse in honorem Meleagri herois Achaici.

Epicos secuti poetae *lyrici* et venationem Calydoniacam et alias res a Meleagro gestas celebrasse videntur, ***Stesichorus***, ***Simonides***, fortasse *Ibycus*. cf. Athen. l. 1.

ὁ γὰρ Στησίχορος οὕτως εἴρηκεν ἐν τῷ προκειμένῳ ᾄσματι τοῖς Ἄθλοις

θρώσκων μὲν γὰρ Ἀμφιάραος, ἄκοντι δὲ νίκασεν Μελέαγρος (Schneidew. fr. 3)

cf. Schneidew. fr. 2.

Stesichori *συοθῆραι*, cuius carminis Athenaeus III, p. 95 ***D*** hunc versum servavit

κρύψε δὲ ῥύγχος ἄκρον γᾶς ὑπένερθεν (Schn. fr. 8)

ad venationem Calydoniacam pertinuisse videntur.

De Simonide v. Athen. IV, p. 172 ***E***.

De Ibyco v. Athen. l. l. Bergk fr. Stesich. 19.

Pindarus in eis quae nobis servata sunt carminibus semel commemorat (Isthm. VI, 32)

μαχατὰν Μελέαγρον.

Denique hoc afferam, certum quidem non esse sed prorsus veri simile, Atalantam viraginem illam Arcadicam[1]) iam a poetis lyricis atque epicis posthomericis et heroibus Peliae ludos celebrantibus et venatoribus Calydoniacis adiunctam fuisse. Nam Atalanta in eorum vasorum genere quae figuris nigris ornata sunt, cuius generis artifices ex poetis tragicis haurire non solent, et persaepe cum Peleo luctans occurrit[2]) et ubicunque venatio Calydoniaca repraesentatur, raro deest.

Cum igitur in fabula nostra tractanda poetae lyrici cum epicis congruisse videantur, viam longe diversam ingressus est, ut iam supra monuimus, ***Phrynichus tragicus***, cuius de tragoedia nunc mihi agendum est.

Titulum, qui apud Suidam et Eudociam *Πλευρωνία*, apud Pau-

[1]) cf. de Atalanta O. Müller, „Dor." I, p. 216. Gerhard, „griech. myth." I, p. 366.

[2]) cf. E. Braun, „annali dell' inst." 1837, p. 130, 213. Gerhard, „auserl. vasenb." III, p. 68. — cf. Plat. de re publ. X, p. 620 ***B***.

saniam *Πλευρών* falso traditus erat, scribendum esse *Πλευρώνιαι* Bentleius (op. p. 296) e Tzetza docuit, qui in Lycophr. 433 haec

μέμνηται δὲ τοῦ ἔθνους τούτου καὶ Φρύνιχος ὁ τραγικὸς ἐν δράματι Πλευρωνίαις λέγων

στρατός ποτ᾽ εἰς γῆν τήνδ᾽ ἐπεστρώφα ποδί,
Ὕαντος ἣν ἔναιεν ἀρχαῖος λεώς
πεδία δὲ πάντα καὶ παράκτιον πλάκα
ὠκεῖα μάργοις φλὸξ ἐδαίνυτο γνάθοις.

Neque Bentlei praeceptum in dubitationem revocari debet quod in ipso Tzetza duo codices (Vit. 2. 3) praebent *ἐν δράματι Πλευρωνίᾳ*. Qui titulus de patria primariae personae sumptus a more tragicorum aeque abhorret atque id quod Siebelisius (in Paus. l. l.) coniecit, Pleuroniarum nomine et matrem et uxorem et sorores Meleagri significari; titulum de choro sumptum esse recte docuit Welckerus („gr. trag." p. 22).

Praeter duo fragmenta quae ex Pausania et Tzetza attuli nulla nobis relicta sunt; de argumento scimus ex ipso titulo, chorum e feminis Pleuroniis compositum fuisse, deinde ex Pausania et fragmento quod servavit l. l., famam popularem de titione combusto a Phrynicho fuisse advocatam. His paucis sane et parvis adminiculis adiutus, Welckerus, cuius ab auctoritate tota haec disquisitio rite proficiscitur, ingeniose, ut solet, l. l. p. 22 de dramatis argumento et dispositione exposuit hisce verbis, quae, cum non prorsus perspicua esse videantur, ipsa afferre mihi liceat:

„Hätte der tod des Meleagros bei Phrynichos nicht mit der rettung Kalydons und der niederlage der Kureten oder Pleuronier in verbindung gestanden, sondern wie bei Euripides mit der liebe zur Atalante, so konnte Pausanias den tragiker nicht mit den epischen dichtern vergleichen. Bei Homer ist streit zwischen den Aetoliern und Kureten um kopf und haut des ebers ursache des kriegs; erst im kriege aber fällt ein bruder der Althäa durch ihren sohn, den sie darum verflucht; dieser stoff muss der des Phrynichos gewesen sein auch nach dem chor .... Pleuronierinnen für die rettung von Kalydon durch den tod des Meleagros gleichen den Phoenissen desselben dichters zur darstellung des siegs der Hellenen über die Perser. Der inhalt und

gang des dramas konnte sein: bedrängniss der Pleuronier, bald auf das höchste getrieben durch den tod des königsohnes, des Hektor dieser veste und des bruders der Althäa; neuer ausfall, unverhofft glücklich weil Meleagros zürnte, niederlage und flucht der Kureten oder ausführliche schilderung der thaten des Meleagros, die dem kriege ein ende machten, während er selbst der rache seiner mutter erlag. Atalante fehlte sicher unter den personen nicht; eine volcenter vase mit alter zeichnung und schrift stellt dar wie Mopsos dieser haut und kopf des ebers giebt und Peleus und Klytios zuschauen; an einer andern ist sie ringend mit Peleus dargestellt, ohne zweifel bei den leichenspielen des Pelias; sie war also in jenen zeiten eine beliebte heldenfigur."

In hac hominis praestantissimi docta ea quidem et speciosa expositione fateor non pauca inesse mihi videri quae cum alias difficultates praebeant tum ipsa secum pugnent[1]).

Ac primum quidem in hoc argumento quid sibi vult Atalanta? Quodsi Welckerus statueret, Phrynichi tragoediam etiam venationem ipsam complexam fuisse, tunc quidem Atalantae partes convenisse certum id quidem minime esset, sed intellegi saltem posset. Atqui Welckerus ab hac tragoedia et venationem et amorem Meleagri — quem primus finxit Euripides — exclusit; atque rectissime postea praedicavit ipse, nusquam tradi, Atalantam bello Pleuroniorum et et Calydoniorum interfuisse (p. 756[*]). Nulla igitur causa est, cur Atalantam ad simplicissimam Phrynichi artem advocemus. Nam quo modo Welckerus de hac Phrynichi tragoedia collegisse aliquid certi sibi visus sit e vasis pictis — quae vasa insuper ad venationem Calydoniacam non pertinent sed ad ludos Peliae[2]) — hoc quidem fateor me non intellegere.

Deinde ex discrimine quod intercedit inter famam popularem

[1]) Hac re factum est, ut Brandstaeterus, l. l. p. 61, cum Welckerum vituperet, ipsius Welckeri sententiam proponens, suam proposuisse sibi visus sit.

[2]) In utroque vase Atalantam cum Peleo luctantem repraesentatam esse, docet O. Iahnius, cat. vas. Mon. 125 (cf. 586. 686). cf. Gerhard, „auserl. vasenb." 237. 177. Nec tamen duplicem luctationem statuendam puto, sed si quidem in vase Monac. 125 (Gerh. 237) rem Calydone agi, apri pelle indicatur, haec est confusio artificis. — cf. „arch. zeit." 1847, p. 186; 1853, p. 401 *.

et Homericam, necesse est tota pars posterior argumenti Welckeriani deseratur. Quodsi Phrynichus titionem advocavit, quo combusto eodem temporis puncto Meleager exanimatur, de ira Meleagri quae ex exsecratione insequitur apud Homerum, ne verbum quidem dicere potuit. Nihil igitur restat argumenti a Welckero propositi, nisi hoc: pugna Curetum contra Aetolos, caedes principis a Meleagro facta, interitus Meleagri titione combusto. Quod argumentum vereor ne ipsa Phrynichi simplicitate simplicius sit; neque intellegitur, quo tandem pacto ad exitum perducta sit tragoedia, cuius scaenam Pleuronem urbem Welckerus statuit — si quidem eius verba recte intellego. Welckerus vero, cum argumentum suum proponeret, duabus potissimum causis commotus fuisse videtur, primum quod chorus e Pleuroniis constitit — e qua re collegit rem Pleurone agi —, deinde quod Pausaniae verba *οὐ μὴν φαίνεται κ. τ. λ.* ita accipienda esse putavit, ut Phrynichus fabulam de titione non copiosius persecutus esse diceretur, sed eam paucis tantum verbis perstinxisse[1]). Atqui Pausaniae verba ita non esse intellegenda, declarant, nisi magnopere fallor, cum omnia quae antecedunt tum vox *δεικνύναι*; immo Pausanias, postquam epica enarravit, haec dicit: „Sed quae fabula est, inquit, de titione, quem Althaeae a Parcis datum esse ferunt eumque, quo demum igni consumpto Meleagro moriendum esset, ab Althaeae, ira incensa, esse igni exustum: eam fabulam Phrynichus primus tragicorum exposuit tragoedia cui nomen est Pleuroniarum. Nec tamen Phrynichus quidem eam de titione fabulam exornavit et auxit, quasi ab ipso esset inventa — uti fecit de meo addiderim Euripides — sed Phrynichus fama populari usus est qualis per totam Graeciam divulgata erat.“

Quae si recte disputavimus, in Pausaniae verbis nihil inest quo prohibemur quin Meleagri et Althaeae personas in scaenam ipsas esse inductas statuamus. Neque obstat chorus Pleuroniarum. Nam si bellum Curetum et Calydoniorum a Phrynicho descriptum esse cum Welckero Feuerbachio (l. l.) Wagnero (fragm. trag. ed. Par., II, p. 13) statuas, chorus ex feminis Pleuroniis vel captivis vel ut pacem rogarent missis vel Althaeae comitibus constare potuit; sin autem cae-

[1]) Welcker, l. l. p. 21: *„Dabei bemerkt Pausanias treffend, dass Phrynichos, da er die sache nicht weiter ausführe, sie nicht als eigne erfindung vorbringe, sondern sie nur als eine durch ganz Hellas bekannte berühre.“*

dem avunculi iam in ipsa venatione a Meleagro patratam esse Phrynichus finxit, chorus Pleuroniarum nullam prorsus praebet difficultatem. Cum viris feminas quoque e vicina urbe Calydonem venisse facile conicias[1]).

Hoc posterius autem factum esse et ex Euripide collegerim, qui in non nullis Phrynichum secutus esse videtur, et ex ea re quod veri simile non est, Phrynichnm titionem e fama populari sumpsisse, ex epicis bellum. Nam quod bellum a Phrynicho descriptum esse, Welckerus et Wagnerus inde colligunt, quod Phrynichus cum epicis comparetur a Pausania, id quidem verum est comparari cum eis Phrynichum; at ita comparatur ut eis distincte atque diserte opponatur.

E fragmentis nihil fere conclndi potest; patet, alterum quod versibus asclepiadeis constare nnllaque egere emendatione G. Hermannus docuit (apud Siebel. l. l.), ex cantico chori sumptum esse, quod chorus de Meleagri morte certior factus edidit; alterum de bello ab Hyantibus quondam illato dictum et Thestio vel alii Pleuroniorum tribuendum esse suspicatus est Welckerus; sed ita ut nunc ab A. Nauckio (gr. tr. fr. p. 558) recte emendatum legitur intellegi non potest. Summam igitur argumenti a Phrynicho compositi hanc statuo:

Meleager in venatione de apri exuviis cum avunculo pugnat et hunc necat; qua re audita quo tempore Althaea titionem comburit eo ipso tempore Meleager exanimatur; Althaea autem celeri sed sera paenitentia correpta manum sibi ipsa infert.

Neque enim vereor ne nimis audacter conicientis sit, quod Althaeae — et fortasse etiam Cleopatrae — mortem voluntariam iam prisco Phrynicho deberi puto.

Phrynichi tragoediam haud scio an spectaverit Aeschylus, Choeph. 595 sqq. *H.*

ἴστω δ', ὅστις οὐχ ὑπόπτερος
φροντίσιν, τὰν δαεῖσ' ἁ παιδολυ —
μὰς τάλαινα Θεστιὰς μήσατο
πυρδαῆτιν πρόνοιαν,

[1]) Cum Phrynichus pluribus choris in eadem fabula saepius usus esse videatur (Droysen, „Phrynichos u. d. trilogie“; cf. O. Müller, „gr. litteraturg.“ I, p. 35) haud scio an coniectari possit, etiam in hac fabula duplicem chorum adhibitum esse, et Pleuroniarum et Calydoniarum.

καταίθουσα παιδὸς δαφοινὸν
δαλὸν ἥλιχ', ἐπεὶ μολὼν
ματρόθεν κελάδησεν,
ξύμμετρόν τε διαὶ βίου
μοιρόκραντον ἐς ἦμαρ.

Ipsi ***Aeschylo*** in indice fabularum ascribitur *Ἀταλάντη*. Atque Feuerbachius (l. l. p. 8) et Brandstaeterus (l. l. p. 61) tragoediam fuisse eam fabulam statuerunt, quae Meleagri fata complecteretur. Welckerus vero dubitare videtur, num tragoedia fuerit an drama satyricum[1]).

Eam Aeschyli fabulam fuisse drama satyricum, certum et exploratum puto. Nam in fatis Atalantae tragici inest nihil nisi amor Meleagri. Hunc vero, quod sciamus, primus Euripides finxit atque nemo non videt, tale argumentum prorsus abhorrere ab Aeschyli arte, de qua Aristophaneum est illud:

οὐδ' οἶδ' οὐδεὶς ἥν τιν' ἐρῶσαν πώποτ' ἐποίησα γυναῖκα.

Eademque res est de ***Aristiae*** Atalanta, quam fabulam satyricam fuisse etiam Meinekius statuere videtur (hist. crit. p. 504). Neque vero venationem Calydoniacam eis dramatis satyricis tractatam esse puto, sed fabellam illam Arcadicam, qua Atalanta et Milanio, cuius adulescentis amorem fastidiret virago, in leones commutati esse dicebantur. Et enim Atalantam cum Milanione iam antiquis fabulis coniunctam esse, inde colligi licet, quod ambo in arca Cypseli coniuncti repraesentati erant. Comici vero et hanc fabellam et postea Euripideam saepissime spectarunt eamque ludificanter detorserunt (cf. Aristoph. Lysistr. 781 ibiq. schol.; Meineke, poët. com. I, p. 214, 249, 289). Eundemque in modum pictores interdum eam fabulam lusisse, docuit Panofka („Winckelm. progr.“ 1851. 1853. „abh. d. ak.“ 1851).

E ***Sophoclis*** Meleagro, quam tragoediam Hesychius I, p. 397, II, 51, 362 commemorat, Lucianus (Symp. 25) duos versus servavit (Nauck. inc. 739, p. 245):

συὸς μέγιστον χρῆμ' ἐπ' Οἰνέως γύαις
ἀνῆκε Λητοῦς παῖς ἑκηβόλος θεά[2]).

---

[1]) „Gr. trag.“ p. 403, 1496. „Nachtr. zur tril.“ p. 286, 966.

[2]) Quod autem Hermogenes rhet. III, p. 324 habet: *καὶ ὁ Σοφοκλῆς δὲ φιλανδρόν που τὴν Ἀταλάντην εἶπε διὰ τὸ ἀσπάζεσθαι σὺν ἀνδράσιν εἶναι* cum Brunckio et Nauckio (p. 245) ad hanc tragoediam referre, non audeo.

Chorum e sacerdotibus compositum fuisse atque id ex Homero sumpsisse poëtam, pridem docuit Heynius (Il. 9, 575) e schol. Il. 9, 575 quo loco *A* haec: *ἐντεῦθεν Σοφοκλῆς ἐν τῷ Μελεάγρῳ τὸν χορὸν ἀπὸ ἱερέων παρήγαγεν.*

In fine fabulae commutationem Meleagridum commemoratam fuisse e Plinio (N. H. 37, 11) docuit Welckerus (l. l. p. 404).

Idem de tragoediae argumento et dispositione dubitat, utrum Phrynichi argumentum poeta exornaverit, an Euripidi similia finxerit; certum putat, Sophoclem et Homericam narrationem spectasse et stipitis fatalis combustionem non omisisse (I, p. 405; II, 752).

Utrumque fieri non posse iam supra demonstratum est. Sed in hac quoque fabula condenda poetam *ὁμηρικώτατον* Homeri vestigiis presse institisse itaque nec Phrynicho Euripidive similia protulisse nec omnino torrem fatalem commemorasse, sine ulla dubitatione edixerim. Namque Apollodorus I, 8, 3, postquam Euripideae potissimum fabulae argumentum exposuit, haec habet: *οἱ δὲ φασὶν οὐχ οὕτω Μελέαγρον τελευτῆσαι· ἀμφισβητούντων δὲ τοῦ θηρὸς φασὶ τῶν Θεστίου παίδων, ὡς Ἰφίκλου πρώτου βαλόντος, Κούρησι καὶ Καλυδωνίοις πόλεμον ἐνστῆναι. ἐξελθόντος δὲ Μελεάγρου καί τινας [τινα?] τῶν Θεστίου παίδων φονεύσαντος, Ἀλθαίαν ἀράσασθαι κατ' αὐτοῦ· τὸν δὲ ὀργιζόμενον οἴκοι μένειν, ἤδη δὲ τῶν πολεμίων τοῖς τείχεσι προσπελαζόντων, καὶ τῶν πολιτῶν ἀξιούντων μεθ' ἱκετηρίας βοηθεῖν, μόλις πεισθέντα ὑπὸ τῆς γυναικὸς ἐξελθεῖν καὶ τοὺς λοιποὺς κτείναντα τῶν Θεστίου παίδων, ἀποθανεῖν μαχόμενον. μετὰ δὲ τοῦ Μελεάγρου θάνατον Ἀλθαία καὶ Κλεοπάτρα ἑαυτὰς ἀνήρτησαν. αἱ δὲ θρηνοῦσαι τὸν νεκρὸν γυναῖκες ἀπωρνεώθησαν.*

His verbis argumentum Sophocleae tragoediae contineri, suspicatus est L. Prellerus in annotatione quadam mythologiae graecae (II, p. 205).

Egregie. Nam et id quod de hac tragoedia certo scimus, eam narrationis Homericae similem fuisse atque Meleagridum commutationem complexam fuisse, et id quod summa probabilitate coniectari licet, Althaeam et Cleopatram in hac tragoedia manus sibi ipsas intulisse: ea omnia verbis Apollodori exposita sunt. Neve omittas velim id quod unum apud Apollodorum additum est et alibi nusquam traditur, *καὶ Μελεαγρὸν .. ἐξελθεῖν καὶ τοὺς λοιποὺς κτείναντα*

τῶν Θεστίου παίδων ἀποθανεῖν, id inventioni summi tragici praeclare couveuire.

Uuum fragmeutum patet prologi esse; sed cui prologus tribuendus sit nescimus neque quicquam accuratius de structura et personis tragoediae statui potest. Cousequitur autem ex fragmeuto, ut apud omnes tragicos ita apud Sophoclem iufiuitum gentis regiae malum ad Dianam iratam revocari (cf. Lucian. de sacrif. 1).

Sophocles igitur, qui iu describendis animorum motibus artem suam divinam collocare solet, omisit combustionem torris fatalis; sed ea re factum est, ut diras matris execratioues, iram Meleagri, preces sacerdotum sororum patris ipsius deuique matris describere et duplex parricidium persequi possct, quo Meleager, ut in pugnam redeat tandem exoratus, una cum reliquis avuuculis cadit; denique ne specioso quodam ornameuto carcret tragoedia, commutationem addidit sororum Meleagri mortem deflentium, quam a Diana, tam diris iufortuuiis tandem placata, et effectam et uarratam fuisse, Welckerus probabiliter statuit; ueque iuiuria edixisse mihi videtur, posse diviuatione concipi, quauta arte tauquam cum flebili quadam elatione poeta sublimis ultimum canticum senum fata gentis regiae lugentium et commutationem Meleagridum admirantium condiderit et exornaverit.

Sed de hac commutatioue, quam quod sciamus primus commemoravit Sophocles, pauca addere mihi liceat.

Et enim Plinius vituperator ille mendacis Graeciae de sucino referens (N. H. 37, 11) haec habet: „Sophocles ..... ultra Indiam fieri dixit e lacrimis meleagridum avium Meleagrum deflentium[1]). Quod et credidisse eum vel sperasse aliis persuaderi posse quis uon miretur? quamve pueritiam tam imperitam posse reperiri, quae avium ploratus annuos credat lacrimasve tam grandes, avesque e Graecia ubi Meleager periit ploratum isse in Indos? Quid ergo? Non multa aeque fabulosa produnt poetae? Sed hac in re quae quotidie inveniatur atque abundet et hoc mendacium coarguet, serio quenquam

[1]) cf. Eustath. Il. p. 294: *ἡ δὲ τῶν Μελεαγρίδων μυθολογία τῇ τῶν Ἡλιάδων συζυγεῖ.* Strab. p. 215: *τὰ δὲ πολλὰ τῶν μυθευομένων ἢ κατεψευσμένων ἄλλως ἐᾶν δεῖ, οἷον τὰ περὶ Φαέθοντα καὶ τὰς Ἡλιάδας τὰς ἀπαιγειρουμένας περὶ τὸν Ἠριδανὸν τὸν μηδαμοῦ γῆς ὄντα, πλησίον δὲ τοῦ Πάδου λεγόμενον καὶ τὰς Ἠλεκτρίδας τὰς πρὸ τοῦ Πάδου καὶ μελεαγρίδας ἐν αὐταῖς· οὐδὲ γὰρ τούτων οὐδέν ἐστι ἐν τοῖς τόποις.*

dixisse, summa hominum contemptio est et intoleranda mendaciorum impunitas[1])."

Quibus e verbis hoc concludi posse videtur, Sophoclem non totam rem de suo finxisse, sed hoc tantum addidisse, e lacrimis Meleagridum sucinum fieri et eas ploratus annuos edere in India. Quod a poeta pulcherrime fictum esse ob eam causam ut advocato electri miraculo et fabulosa India fabulae virtutem poeticam augeret, nemo non videt, qui talium rerum paulisper peritus. Sed unde sumpserit eam fabellam poeta, quaerendum est.

Atque ab epicis talem fabulam tradi non potuisse, rectissime edixit Gr. Nitzsch („Kieler philolog. stud." p. 421 coll. p. 401 sqq.); neque apud epicos ullum vestigium eius rei reperiri potest.

Opinor autem, eam fabellam fuisse famam quandam sacerdotalem, qua aves sacras meleagrides e Meleagri sororibus factas esse dicerent. Fuit enim genus gallinarum peculiare quoddam et rarum, nigro potissimum colore, variis tamen sparsis plumis, quae cum in Boeotia, in Africa, ad Eridanum fabulosum inveniri tradebantur, tum ad fanum Dianae in Lero insula situm alebantur[2]). Eaedemque aves etiam in arce Athenarum alebantur[3]) et posterioribus temporibus Isidi in Elide sacrificari solebant (Paus. X, 32, 9) atque, opinor, aliis locis aliis deis. Mireris fortasse, quo tandem pacto ad Meleagrum pertineant eae aves sacrae. Sed puto aves meleagrides — ut fere fit in talibus rebus etymologicis — de Meleagro non esse primitus dictas;

[1]) Plinii vituperationem, de qua nostra aetate ne verbo quidem opus esse putaveram, ad totam tragoediam refert Brandstaeterus, qui l. l. p. 62 haec: *„Wichtiger für uns erscheint die tragödie von Sophokles, der gleichfalls am stoffe scheiterte. Er wusste dem verwöhnten gaumen seiner Athener die oft gekostete geschichte von Meleager und dessen schwestern nicht anders schmackhaft zu machen, als durch den närrischen einfall, die Meleagriden in ihrer verwandlung mit den Heliaden zusammenzumengen und sie an die entlegensten ostküsten zu versetzen, wie auch andre vielleicht vorher sie an den Eridanus gesetzt hatten. Schon Plinius hat ihn wegen dieser ungerechtigkeit und gewiss mit recht hart getadelt."* (!)

[2]) cf. Anton. Lib. 11 p. 7 ed. *K.* Aelian. IV, 42; V, 27. Plin. X, 38. Varr. de r. r. III, 9. Colum. VIII, 2. Strab. V, p. 215. — cf. Salmas. exerc. Plin. p. 611 sqq.

[3]) Suidas et Hesychius s. v. *μελεαγρίδες· ὄρνεα ἅπερ ἐνέμοντο ἐν τῇ ἀκροπόλει.* Quod quid obstet non intellego quin de arce Athenarum dictum esse putemus.

sed cum vel sonum quendam ei nomini similem loqui viderentur[1]) vel alia de causa sive meleagri[2]) seu meleagrides seu simili quodam nomine appellatae essent, posteriore demum tempore id nomen ad herois Aetolici nomen relatum et fortasse mutilatum est. Quod manifestum fit e Suida (p. 2441 *D*, Gaisf.) *λέγουσι δὲ οἱ μὲν τὰς ἀδελφὰς τοῦ Μελεάγρου μεταβαλεῖν εἰς τὰς ὄρνιθας· οἱ δὲ τὰς συνήθεις Ἰοκαλλίδος*[3]) *τῆς ἐν Λέρῳ παρθένου, ἣν τιμῶσι δαιμονίως.* Ergo non necessario ad Meleagrum meleagrides referebantur[4]). Fabella autem illa etymologica, qua ad Meleagrum meleagrides referebantur, eo facilius nasci potuit, quod apud Graecos opinio vigebat, ex qua mors virorum fortium ab avibus lugeri dicebatur. Itaque fabulosae illae aves Memnonides Diomedeae Heliades fictae sunt. Scite autem animadvertit L. Rossius („inselreisen", II, p. 121) eandem opinionem adhuc apud Neo-Graecos cognatasque gentes valere. Accedit, opinor, quod aves huius generis, cum pennas discerpant et capita submittentes sonos vocis humanae similes edant, lugentium habitum praebere videntur[5]). Praeterea meleagrides nigro potissimum erant colore et ad tumulos saepius advolare putabantur. De qua re Plinius X, 26, 37 sq. „auctores sunt omnibus annis advolare Ilium ex Aethiopia aves et confligere ad Memnonis tumulum, quas ob id Memnonidas vocant .... Simili

---

[1]) Aelian. IV, 42: *ὄρνις ὁ ἀτταγᾶς .... οὗτός τοι τὸ ἴδιον ὄνομα ἤ σθένει φωνῇ φθέγγεται καὶ ἀναμέλπει αὐτό. λέγουσι δὲ καὶ τὰς καλουμένας μελεαγρίδας τὸ αὐτὸ δήπου δρᾶν τοῦτο, καὶ ὅτι Μελεάγρῳ τῷ Οἰνέως προσήκουσι κατὰ γένος μαρτυρεῖσθαι, καὶ μάλα εὐστόμως.*

[2]) Hesychius: *μελέαγρος· ἡ κατοικίδιος ὄρνις,* quo loco nihil mutandum est.

[3]) De forma huius nominis Wieselerus, ind. schol. Gott. 1861, p. 12: „Ultro apparet, quam per se aptum sit, si quis valde pulchram vel splendida pulchritudine praeditam significari statuerit. Sed non ausim negare fieri posse ut prior vocabuli pars ab *ἴον* ducenda sit, ita ut nomen significet violae instar pulchram." — Apparet autem, hoc Iocallidis nomen cognomen fuisse Dianae in Lero insula cultae — quod miror nemini adhuc observatum esse.

[4]) Comparari potest Suidae glossema s. v. *μελεάγρια· ῥίζαις αὐτοὺς μελεαγρίων καὶ καρδίαις καλάμων ἐδεξιοῦντο,* quod non puto ad Meleagrum posse ullo modo referri.

[5]) cf. Fauriel-Müller I, p. 42. 66. 90. 102. 110; II, 6. 46. 50. 65. 78. 174. 178. 200. — Talium fabularum rationem universam exposuit Hauptius, „Ovid. metam. einleit." p. 10. cf. O. Müller, „gr. litteraturg." I, p. 45.

modo pugnant meleagrides in Boeotia ..... Meleagri tumulus eas nobiles fecit."

Apparet autem, Meleagri herois Aetolici tumulum in Boeotia esse, ob eam causam tradi, quod ibi aves meleagrides inveniebantur. In ipsa Aetolia Meleagri tumulum fuisse, tametsi distincte nemo tradit, tamen e more Graecorum improbabile non est, ibi heroum quoddam herois gentilis fuisse et ad id posteriore saltem tempore aves meleagrides allatas esse; quae res confirmari videtur verbis Antonini Liberalis, p. 7 ed. K.: *αἱ δὲ ἀδελφαὶ αὐτοῦ παρὰ τὸ σῆμα ἐθρήνουν ἀδιαλείπτως, ἄχρις αὐτὰς Ἄρτεμις ἁψαμένη ῥάβδῳ μετεμόρφωσεν εἰς ὄρνιθας καὶ ἀπῴκισεν εἰς Λέρον.* Sed hoc potest quidem a posterioribus fictum esse, qui Meleagri gratia Aetoliam meleagridum patriam esse statuerunt. cf. Athen. l. l. —[1]).

Sed redeo unde declinavi; de *Euripidis* Meleagro iam mihi agendum est, cuius tragoediae, ut fere fit, multo plura fragmenta servata sunt quam reliquorum quae eandem fabulam complexae erant tragoediarum.

Summam argumenti servavit scholiasta Aristophanis qui ran. 1238 ad Euripidis versum

Οἰνεύς ποτ' ἐκ γῆς πολύμετρον λαβὼν στάχυν

haec: *Οἰνεὺς δὲ τῆς αὐτοῦ γῆς εὐφορησάσης ἀπαρχὰς πᾶσι θεοῖς θύσας,*

[1]) Obiter moneo, posteriores narrare, de Meleagri sororibus Deianiram et Gorgam a Diana commutatas non esse, Bacebo rogante — nempe ne stemmata turbarentur. cf. Anton. Lib. 2, p. 6. Ovid. metam. VIII, 562. Hygin. f. 174. — Ex eis autem quae de meleagridibus attuli intellegitur, cur posterioribus demum temporibus eae aves in mensas Romanorum advocarentur. cf. Plin. X, 26. 38. Varr. r. r. 3, 9. Nempe erant aves sacrae quae deis sacrificari solebant et quae ad mortuos pertinere videbantur. cf. Aelian. IV, 42: *ὅσοι δὲ ἄρα αἰδοῦνται τὸ θεῖον καὶ εἰ μᾶλλον τὴν Ἄρτεμιν οὐκ ἄν ποτε τῶνδε τῶν ὀρνίθων ἐπὶ τροφὴν προσάψαιντο· καὶ ἥτις ἡ αἰτία, ἴσασι δὲ οἱ τὴν νῆσον οἰκοῦντες τὴν Λέρον, καὶ ἔνεστι μαθεῖν ἀλλαχόθεν.* Neque igitur Varronis verba, l. l., „hae novissimae introierunt e culina propter fastidium *hominum*" iure mutavit Salmasius, exerc. Plin. p. 611, in „propter fastidium *viri*"; neque Plinii, l. l., „propter ingratum *munus*" in „propter ingratum *virus*"; nam in Varronis quidem verbis nulla prorsus inest offensio; Plinius autem alio modo emendandus — nisi forte *munus* simili sensu accipi potest quo est ap. Vergil. A. 4, 624; 5, 885; 8, 273; 11, 195 (cf. ibid. Thiel.) —, nam ipse Salmasius docet genus gallinarum, quod meleagridum nomine veteres appellarunt, saporem virosum non habere; quem si habuissent, nunquam, opinor, in mensas eas advocassent Romani.

'Αρτέμιδι οὐκ ἔθυσεν. ὅθεν ὀργισθεῖσα σῦν μέγαν κατὰ τῆς χώρας αὐτοῦ ἀφῆκεν, ἵνα ταύτην λυμήνηται. ἐπὶ τοῦτον τὸν κάπρον τοὺς ἀρίστους ἐκ τῆς Ἑλλάδος πάντας συνεκάλεσεν καὶ τῷ κρατύναντι τὸν θῆρα τὴν δορὰν δώσειν ἀριστεῖον ὑπέσχετο. συνελθούσης δὲ μετὰ τῶν ἀριστέων καὶ 'Αταλάντης τῆς Σχοινέως, κοινῇ τὸν κάπρον περιέστησαν ἅπαντες. ἐπεὶ δὲ τὸ δέρας τῇ 'Αταλάντῃ πρώτῃ τὸν κάπρον τοξευσάσῃ ὁ Μελέαγρος χαριζόμενος ἔδωκε, καὶ οἱ πρὸς μητρὸς αὐτοῦ θεῖοι ἀγανακτοῦντες εἰ τὰ ἀριστεῖα γυνὴ λήψεται, τὸ δέρας μὲν 'Αταλάντης ἀφείλοντο, ὑπὸ δὲ Μελεάγρου ἐφονεύθησαν, ὀλιγὸν ὕστερον καὶ αὐτοῦ, τῆς μητρὸς ἐπὶ τῇ ἀναιρέσει τῶν ἀδελφῶν λυπηθείσης καὶ ἀναψάσης τὸν μοιρῶν δαλόν, ἀποθανοῦντος.

Quibuscum congruit schol. Il. 9, 548 et in rebus primariis quidem copiosior Apollodori narratio I, 8, 2. Nec tamen Euripidem solum Apollodorus secutus est, sed aliunde non nulla addidit. Nam inter venationis narrationem haec habet: *Εὐρυτίωνα δὲ Πηλεὺς ἄκων κατηκόντισε.* Hoc vero in tragoedia Meleagri fatum complexa commemorari non potuit, sed ex eis epicis seu potius mythographis sumptum est, qui fabulas quibus Peleus in diversis regionibus celebrabatur invitae caedis fugaeque commento e suo more coniunxerunt. Nec veri simile puto id quod Apollodorus dicit: *Ὑλεὺς μὲν καὶ 'Αγκαῖος ὑπὸ τοῦ θηρὸς διεφθάρησαν* vel ab Euripide vel ab alio tragico commemoratum esse. Etiam de sedecim nominibus dubitare possis quae praeter Meleagrum Atalantam Thestiadas Apollodorus enarrat; sed cum constet veteres in multorum nominum enumerationibus non offendisse — cuius rei exemplum tritum praebet Aeschylus in Persis — atque Euripides venatorum habitum fusius persecutus esse videatur, nihil inde coniecerim. At hoc apparet cavendum esse, ne quid de Euripidis fabula ex Apollodoro concludamus, nisi aliunde confirmetur.

Idem summo opere cavendum est de fragmentis Meleagri ab Attio compositi. Attium enim non Sophocleam quidem tragoediam, sed Euripideam sermone latino expressisse non tam fragmentorum similitudine apparet quam inde, quod Attius titionem et Atalantam commemoravit, a Sophocle omissa. Nec vero Attium Euripidis vestigiis presse institisse, sed ipsam venationem ad Euripideum exemplum non descripsisse, scite docuit O. Ribbeckius, trag. lat. reliq. p. 342:

„Macrobius enim, inquit, ubi de eis rebus agit quae de Graecorum literarum penetralibus a Vergilio erutae nullis cognitae sint, nisi qui Graecam doctrinam diligenter hauserint, ibi ex Euripidis Meleagro nuntii aliquot, quibus quo quisque habitu fuerit venatorum describitur, versus ita affert, ut ne meminerit quidem Attianae fabulae, quam scilicet de Graeca conversam esse vix poterat ignorare.“

Ovidii denique speciosam narrationem (metam. VIII, 270 sqq.) quamvis in non nullis cum Euripide congruere ad verbum videatur, tamen ne ad „restituendum“ Euripidem advocemus, artis Ovidianae ingenium et indoles vetat. Neque quos triginta septem venatores Ovidius nominat, ei cum Apollodoro prorsus conveniunt; atque Meleagridum commutationem, cuius rei gratia totam fabulam exponit Ovidius, non commemoratam esse ab Euripide et ex fragmentis et ex scholiasta Aristophanis et ex Plinio, de Euripide tacente, pro certo fere statuere possumus. Eademque in re differt Hyginus f. 174.

De dramatis consilio et fragmentorum disponendorum ratione, Apollodoro et fragmentis Attianis potissimum nisi, copiose egerunt Valckenarius (diatr. p. 142—151), Matthias (Eur. IX, p. 224—232), Welckerus (tr. gr. II, p. 752—761; III, p. 1599), Hartungus (Eurip. restit. I, p. 140—153), Wagnerus (trag. gr. 744—751 Did.); eandemque rem attingit O. Ribbeckius (trag. lat. rel. p. 341—343); denique A. Nauckius fragmenta egregie emendata disposuit, trag. graec. fr. p. 414—419. — Tametsi vero Hartungus totam dramatis dispositionem singulasque scaenas et diverbia versibus et sententiis undique arreptis accurate concinnasse sibi visus est, tamen perpauca sunt quae certa enucleari vel probabiliter conici posse putem.

Atque chorum e feminis constitisse Welckerus probabiliter conclusisse videtur ex Aristoph. ran. 1316

εἰειλίσσετε δακτύλοις φάλαγγες
ἱστότονα πηνίσματα,
κερκίδος ἀοιδοῦ μελέτας

ubi schol. *τὸ δὲ κερκίδος ἐκ Μελεάγρου Εὐριπίδου.* Quae Welckeri opinio ob eam quoque causam probabilem puto, quod Euripides permulta ex Phrynicho assumpsisse videtur.

Personae e fragmentis certae sunt: Althaea, Meleager, Atalanta, nuntius.

Oeneo, Cleopatrae, Thestiadarum cuidam nullum fragmentum necessario tribuendum est; quos tamen in scaenam inductos fuisse, non improbabile est. Denique Dianam Welckerus, quem omnes secuti sunt, in scaenam introduxit; cuius rei causam non video.

Initio dramatis Aristophanes illudit celeberrimo illo loco ran. 1238, ubi

Εὐρ. Οἰνεύς ποτ' ἐκ γῆς —
Αἰσχ. ληκύθιον ἀπώλεσεν
Εὐρ. ἔασον εἰπεῖν πρῶθ' ὅλον με τὸν στίχον.
Οἰνεύς ποτ' ἐκ γῆς πολύμετρον λαβὼν στάχυν,
θύων ἀπαρχάς —
Αἰσχ. ληκύθιον ἀπώλεσεν.

Sed iam nascitur difficultas, in qua cum iam Fr. Thierschius (Arist. ran. 1259) offenderet, miror eam a Welckero Hartungo Wagnero nullo verbo attingi. Nam scholiasta haec: *Οἰνεύς ποτ' ἐκ γῆς· ἔστι μὲν ἐκ Μελεάγρου μετὰ ἱκανὰ τῆς ἀρχῆς, ἡ δὲ ἀρχὴ τοῦ δράματος·*

Καλυδὼν μὲν ἥδε γαῖα Πελοπίας χθονός.

Eundemque versum cum quattuor qui eum sequuntur versibus alii quoque servarunt (cf. schol. Aristot. rhet. 3, 9; Lucian. symp. 25, Demetr. de eloc. 58; cf. Nauck, fr. 519)

Καλυδὼν μὲν ἥδε γαῖα Πελοπίας χθονός
ἐν ἀντιπόρθμοις πεδί' ἔχουσ' εὐδαίμονα·
Οἰνεὺς δ' ἀνάσσει τῆσδε γῆς Αἰτωλίας,
Πορθάονος παῖς ὅς ποτ' Ἀλθαίαν γαμεῖ,
Λήδας ὅμαιμον, Θεστίου δὲ παρθένον.

Atqui ratio diverbii ab Aristophane instituti desiderat et flagitat, ut primi quique prologorum versus proferantur; atque sunt primi quique ceteri omnes, ut necesse est. Quid igitur faciendum?

Ac Thierschius quidem: „Ergo," inquit, „inique fecit Aristophanes, quod Euripidem non initium, quippe interpolationi non aptum sed versus e nexu ereptos recitare iussit."

Sed quo minus hanc fraudem Aristophani impertiamus et ratione totius diverbii prohibemur et quod bis eidem versui illudit poeta. Scitius certe et ut mihi quidem videtur recte Fritzschius opinatus est, Euripidem maiorem sic incepisse

Οἰνεύς ποτ' ἐκ γῆς

minorem autem Euripidem in altera eiusdem dramatis recensione exorsum esse

Καλυδὼν μὲν ἥδε γαῖα

et aliquanto post (*μετὰ ἱκανὰ τῆς ἀρχῆς*) genuinum prologi initium interposuisse. „Minus enim periculi“, inquit Fritzschius, „in medio prologo, quam ipso eius initio a minutula olei ampulla impendebat. Nam nulli uni Euripidis prologo acerbius atque diutius illusit Aristophanes quam Meleagro v. 1238—1242. Quo magis necessarium fuit, ut minor Euripides prologum illum in altera editione valde mutaret, ne primo statim secundove versu spectatores non secus atque hic Aeschylus exclamarent atque obstreperent.“

Nec vero probo quod Fritzschius, Valckenarii coniectura tacite probata, *Οἰνεύς ποτ' ἐκ γῆς* ab altero Euripide in *οὗτός ποτ' ἐκ γῆς* mutatum esse putat; quod etiamsi — ut iam pridem suspicatus est idem Valckenarius — versus *Οἰνεύς ποτ' κ.τ.λ.* ipsi versui *Λήδας ὅμαιμοι κ.τ.λ.* continuo subiungendus est, neque necessarium est et contra auctoritatem scholiastae Arist. Neque id quod Fritzschius, ut versui

θύων ἀπαρχάς

succurreretur, post varios Valckenarii Piersoni Matthiae conatus coniecit

θύων ἀπαρχὰς οὐκ ἔτισεν Ἄρτεμιν

nunc probari potest. Nam quae ex schol. l. l. afferri solent: *τὸ δὲ λεῖπον τοῦ στίχου οὐκ ἔθυσεν Ἀρτέμιδι*, ab antiquis libris abesse dicit Nauckius. Et apparet ex eis quae sequuntur *ἀπαρχὰς πᾶσι θεοῖς θύσας Ἀρτέμιδι οὐκ ἔθυσεν* male petitum esse. Denique expectes ante Dianam alios deos ab Aristophane commemorari. Non minus igitur Fritzschii coniectura fundamento caret quam id quod scripsit Hartungus

θυὼν ἀπαρχὰς οὐκ ἔθυσ' ἐμοὶ μόνῃ

atque quod Bergkius et Welckerus voluerunt

θυὼν ἀπαρχὰς οὐ καθώσιωσέ μοι [*σ' ἐμοί*]

coll. Hesych. *καθωσίωσε· κατέθυσε, Εὐριπίδης Μελεάγρῳ.* Hartungi Bergkiique coniecturae propterea quoque reiciendae sunt, quod coniectura nituntur Welckeri, prologum Dianae tribuentis (coll. prologg. Hippolyti Baccharum Troadum Terei). Quae quidem opinio prorsus improbabilis non est; sed non video quid obstet, quin eodem coniectando iure prologum alii personae tribuamus, veluti Meleagro vel Atalantae.

Ad prologum referendum videtur quod tradit Pseudo-Plutarch. parall. p. 239 ed. *R.*: *Ἄρης Ἀλθαίᾳ συνῆλθε καὶ Μελέαγρον ποιήσας* [*ἐγέννησε* Matthias] *ὡς Εὐριπίδης ἐν Μελεάγρῳ* .... [*ἐποίησεν* Matthias] qua cum re congruunt Apollodorus I, 8, 2; Ovidius, met. VIII, 437; Hyginus f. 14, 171[1]).

Meleagri cum matre de Atalantae amore disceptantis sunt

fr. 524 (Nauck) *ἡγησάμην οὖν, εἰ παραζεύξειέ τις*
χρηστῷ πονηρὸν λέκτρον οὐκ ἂν εὐτεκνεῖν,
ἐσθλοῖν δ' ἀπ' ἀμφοῖν ἐσθλὸν ἂν φῦναι γόνον.

522: *καὶ κτῆμα δ', ὦ τεκοῦσα, κάλλιστον τόδε,*
πλούτου δὲ κρεῖσσον· τοῦ μὲν ὠκεῖα πτέρυξ,
παῖδες δὲ χρηστοί, κἂν θάνωσι, δώμασι
καλόν τι θησαύρισμα τοῖς τεκοῦσί τε
ἀνάθημα βιότου κοὔποτ' ἐκλείπει δόμους.

531: *μόνον δ' ἂν ἀντὶ χρημάτων οὐκ ἂν λάβοις*
[Ribbeck, l. l. *μόνων*]
γενναιότητα κἀρετήν· καλὸς δέ τις
κἂν ἐκ πονηρῶν σωμάτων γένοιτο παῖς.

Ipsius Atalantae est

529: *εἰ δ' εἰς γάμους ἔλθοιμ', ὃ μὴ τύχοι, ποτέ,*
τῶν ἐν δόμοισιν ἡμερευουσῶν ἀεὶ
βελτίον' ἂν τέκοιμι δώμασιν τέκνα·
ἐκ γὰρ πατρὸς καὶ μητρὸς ὅστις ἐκπονεῖ
σκληρὰς διαίτας οἱ γόνοι βελτίονες.

fortasse 528: *ἡ γὰρ Κύπρις πέφυκε τῷ σκότῳ φίλη,*
τὸ φῶς δ' ἀνάγκην προστίθησι σωφρονεῖν.

Ab Althaea aut in Meleagrum aut in ipsam Atalantam pronuntiantur

526: *εἰ κερκίδων μὲν ἀνδράσιν μέλοι πόνος,*
γυναιξὶ δ' ὅπλων ἐμπέσοιεν ἡδοναί·
ἐκ τῆς ἐπιστήμης γὰρ ἐκπεπτωκότες
κεῖνοί τ' ἂν οὐδὲν εἶεν οὔθ' ἡμεῖς ἔτι.

525: *ἔνδον μένουσαν τὴν γυναῖκ' εἶναι χρεὼν*
ἐσθλήν, θύρασι δ' ἀξίαν τοῦ μηδενός.

[1]) Euripides, Cycl. 39, aliam famam secutus, amatorem Althaeae Bacchum dicit; quae res in explicanda mythi ratione antiquissima summi momenti est. — cf. Apollod. I, 8, 1. Hygin. f. 169. Pausan. VII, 21, 1.

Qua cum altercatione conferendus est Apollodorus, l. l., ... *καὶ Ἀγκαίου καί τινων ἄλλων ἀπαξιούντων μετὰ γυναικὸς ἐπὶ τὴν θήραν ἐξιέναι, Μελέαγρος ἔχων γυναῖκα Κλεοπάτραν ..... βουλόμενος δὲ καὶ ἐξ Ἀταλάντης τεκνοποιήσασθαι, συνηνάγκασεν αὐτοὺς ἐπὶ τὴν θήραν μετὰ ταύτης ἐξιέναι.*

Etiam hanc litem sociorum in scaena repraesentatam esse, dicit Hartungus ipsique Meleagro litem dirimenti tribuit

530: *τό τοι κράτιστον κἂν γυνὴ κράτιστον ᾖ,*
τοῦτ᾽ ἔστιν ἀρετή· τὸ δ᾽ ὄνομ᾽ οὐχὶ διαφέρει.
523: *δειλοὶ γὰρ ἄνδρες οὐκ ἔχουσιν ἐν μάχῃ*
ἀριθμόν, ἀλλ᾽ ἄπεισι κἂν παρῶσ᾽ ὅμως.

Sed prius certe fragmentum aptius post venationem finitam dictum esse videtur; potuerut autem utrique versus etiam in Althaeam dici aut a Meleagro aut ab ipsa Atalanta; neque veri simile est, iam in primis scaenis adversariis Atalantae partes fuisse, cum postea a nuntio singuli venatores longius descripti fuisse videantur. Et enim Macrobius (sat. V, 18, 17) „morem vero Aetolis fuisse uno tantum pede calceato in bellum ire, ostendit clarissimus scriptor Euripides tragicus, in cuius tragoedia quae Meleager inscribitur, nuntius inducitur describens quo quisque habitu fuerit ex ducibus qui ad aprum capiendum convenerant, in eius oratione hi versus sunt“:

(534:) *Τελαμὼν δὲ χρυσοῦν αἰετὸν πέλτης ἔπι*
πρόβλημα θηρός, βότρυσι δ᾽ ἔστεψεν κάρα,
Σαλαμῖνα κοσμῶν πατρίδα τὴν εὐάμπελον.
Κύπριδος δὲ μίσημ᾽, Ἀρκὰς Ἀταλάντη, κύνας
καὶ τόξ᾽ ἔχουσα, πελέκεως δὲ δίστομον
γένυν ἔπαλλ᾽ Ἀγκαῖος· ὁ δὲ Θεστίου
παῖδες τὸ λαιὸν ἴχνος ἀνάρβυλοι ποδός,
τὸ δ᾽ ἐν πεδίλοις, ὡς ἐλάφριζον γόνυ
ἔχοιεν, ὃς δὴ πᾶσιν Αἰτωλοῖς νόμος.

Eiusdem nuntii esse Valckenarius scite coniecit fr. adesp. 152: *ὦ Ζεῦ γένοιτο καταβαλεῖν τὸν σῦν ἐμέ*
coll. Ovid. met. VIII, 350: Phoebe, ait Ampycides, si te coluique coloque,
Da mihi quod petitur certo contingere telo.

Crediderim, postquam chorus venationis eventum felicem a nuntio audivit, eum canticum laetum cantasse, eoque vix finito alte-

rum nuntium in scaenam venisse qui rixam Thestiadarum eorumque caedem referret. Cuius nuntii est

535: *σιδηροβριθές τ᾽ ἔλαβε δεξιᾷ ξύλον.*

Qua re audita Althaea quae dira animo volveret exposuisse videtur; atque facile suspiceris hunc Althaeae monologum tanquam lumen tragoediae fuisse poetamque, cuius haec propria virtus est, acerrimos animi motus quibus infelix mater eademque soror exagitaretur simili ratione depinxisse atque fecit in Medeae illa oratione. Neque compares quidem de ea re inepte Ovidii versus 461—514.

Althaeam titionem coram spectatoribus in ara *θεῶν ἀντηλίων* combussisse itaque Meleagrum moribundum in scaenam non introductum fuisse, Welckerus statuit. Sed hoc neque ex Hesychii verbis consequitur, quae Welckerus affert *ἀντήλιοι θεοί, οἱ πρὸ τῶν πυλῶν ἱδρυμένοι· Εὐριπίδης Μελεάγρῳ*, neque aliunde enucleari potest.

533: *ὡς ἡδὺ δούλοις δεσπότας χρηστοὺς λαβεῖν*
καὶ δεσπόταισι δοῦλον εὐμενῆ δόμοις

suspicor servi esse qui e domo egressus, Althaeam paenitentia et desperatione correptam ipsam sibi manum intulisse, refert choro. Chori autem est

540: *φεῦ τὰ τῶν εὐδαιμονούντων ὡς τάχα στρέφει θεός.*

De reliquis fragmentis confidentius aliquid dici posse non puto.

521: *Μελέαγρε, μελέαν γάρ ποτ᾽ ἀγρεύεις ἄγραν*

Althaeae tribuit Welckerus Meleagrum dehortanti ne amori Atalantae cedat; potuit etiam in monologo ab Althaea pronuntiari aeque ac

539: *ὁρᾷς σὺ νῦν δή μ᾽ ὡς ἐπράυνας, τύχη.*

Althaeae, ut sibi manum inferat, cunctanter domum ingredienti Welckerus tribuit

537: *τερπνὸν τὸ φῶς μοι τόδ᾽. ὑπὸ γῆν Ἅιδου σκότος*
οὐδ᾽ εἰς ὄνειρον [*ἡδὺς* N. (?)] *ἀνθρώποις μολεῖν.*
ἐγὼ μὲν οὖν γεγῶσα τηλικήδ᾽ ὅμως
ἀπέπτυσ᾽ αὐτὸ κοὔποτ᾽ εὔχομαι θανεῖν.

538: *τὸ μὲν γὰρ ἐν φῷ, τὸ δὲ κατὰ σκότος κακόν.*

Quod autem Matthias et Welckerus

536: *τοὺς ζῶντας εὖ δρᾶν· κατθανὼν δὲ πᾶς ἀνὴρ*
γῆ καὶ σκιά· τὸ μηδὲν εἰς οὐδὲν ῥέπει

ab Althaea responderi putant „ad ea quae Meleager dixerat, manes

occisorum Thestiadarum expiaturum se esse," hoc prorsus falsum puto. Non potuit Althaea antequam titionem combussit cum filio de caede fratrum loqui. Haud scio an versus in Althaeam dicti sint, post titionis combustionem paenitentia affectam, aut a choro aut ab Oeneo. Huc fortasse pertinet etiam

532: *μισῶ γυναῖκα[ς] .... ἐκ πασῶν δὲ σέ*
ἥτις πονηρὰ τἄργ' ἔχουσ' εἶτ' εὖ λέγεις,

nisi in Atalantam dictum est.

Qui restant versus

541: *εἰς ἀνδροβρῶτας ἡδονὰς ἀφίξεται*
καρῆνα πυρσαῖς γέννσι Μελανίππου σπάσας

eos putant a deo quodam pronuntiatos, qui fata Oeneidarum in fine fabulae praedicat; sed non sine ulla dubitatione ad nostram fabulam referri posse videntur. cf. Nauck.

Haec habui quae de fragmentis proferrem, valde dubia sane et incerta; at hoc quidem ex eis manifestum et exploratum fieri puto, recte nos statuisse, argumenti ab Euripide tractati summam verbis schol. Aristoph. l. l. contineri. Atqui prorsus diversum argumentum Euripidis fuisse, testimonio aliquo dici videtur. Namque Joannes Malalas, chronogr. VI, p. 209 Ox. haec habet:

Μελέαγρος δὲ ὁ τοῦ Οἰνέως υἱός, ἀδελφὸς δὲ τοῦ Τυδέως καὶ Δηιανείρας, ἐποίησεν ἆθλον μέγαν ἐν τῇ Καλυδωνίᾳ χώρᾳ, φονεύσας κάπρον φοβερόν, τῆς Ἀταλάντης τῆς θυγατρὸς τοῦ Σχοινέως οὔσης μετ' αὐτοῦ· ἥτις προποιήσασα τοξεύει τὸν σύαγρον· ἐλυμαίνετο γὰρ οὗτος ὁ θὴρ πᾶσαν τὴν χώραν ἐκείνην. καὶ μετὰ τὴν ἀναίρεσιν τοῦ θηρὸς τὸ δέρμα αὐτοῦ ἐχαρίσατο ὁ Μελέαγρος τῇ Ἀταλάντῃ εἰς ἔρωτα αὐτῆς βληθείς. ἀπελθὼν δὲ ὁ Μελέαγρος πρὸς τὸν ἑαυτοῦ πατέρα Οἰνέα, ἀπητήθη παρ' αὐτοῦ τὰ νικητήρια τοῦ θηρός· καὶ μαθὼν ὅτι τῇ Ἀταλάντῃ τὸ δέρμα ἐχαρίσατο, ὀργισθεὶς κατὰ τοῦ ἰδίου υἱοῦ, ὃν εἶχε θαλλὸν ἐλαίας φυλαττόμενον παρὰ τῇ Ἀλθαίᾳ τῇ ἑαυτοῦ μὲν γυναικί, μητρὶ δὲ τοῦ Μελεάγρου, ὅντινα θαλλὸν τῆς ἐλαίας ἡ Ἀλθαία ἔγκυος οὖσα ἐπιθυμήσασα ἔφαγε, καὶ καταπιοῦσα τὸ φύλλον τῆς ἐλαίας εὐθέως τεκοῦσα συνεγέννησε τὸ τῆς ἐλαίας φύλλον σὺν τῷ Μελεάγρῳ· περὶ οὗ χρησμὸς ἐδόθη τῷ πατρὶ αὐτοῦ τῷ Οἰνεῖ τοσοῦτον χρόνον ζῆν τὸν Μελέαγρον ὅσον χρόνον φυλάττεται τὸ φύλλον τῆς ἐλαίας τὸ μετ' αὐτοῦ γεννηθέν· ὅπερ φύλλον ὀργισθεὶς ὁ Οἰνεὺς εἰς πῦρ ἔβαλε,

καὶ ἐκαύθη, ἀγανακτήσας κατὰ τοῦ ἰδίου υἱοῦ· καὶ παραχρῆμα ὁ Μελέαγρος ἐτελεύτησεν, ὡς ὁ σοφὸς Εὐριπίδης δρᾶμα περὶ τοῦ αὐτοῦ Μελεάγρου ἐξέθετο.

Atque his Malalae verbis, quae priores non commemoraverant, verum Euripideae fabulae argumentum contineri, praedicavit Brandstaeterus (l. l. p. 61); Hartungus autem, ut „restitueret“ Euripidem, fragmentis Euripideis et Attianis et Meleagri et incertarum fabularum, Apollodoro, Hygino, Ovidio, Cicerone, Diodoro denique non contentus, etiam ex Malala aliquid arripuit — quanquam rectissime intellexerat, Euripideum argumentum ab Malala non esse expressum. Verum enim vero Malalam Euripidis argumentum non esse secutum, et fragmenta (cf. imprimis 520. 534. 535) et quae aliunde certo de ea tragoedia traduntur, satis superque demonstrant. Atque si quis paulo accuratius Malalae verba legit, facile videbit, eum totam fabulam, quod potuerit, ad historicam veri similitudinem revocasse — haud secus ac conatus est Diodorus IV, 34. Neque ipse Malalas dicere mihi videtur, Euripideam fabulam se expressisse; immo ex ultimis eius verbis, imprimis ex illo *περὶ τοῦ αὐτοῦ Μελεάγρου*, ultro apparere puto, Malalam de una tantum re, quam ad rationem pragmaticam revocare non potuit, verba dico *καὶ παραχρῆμα ὁ Μελέαγρος ἐτελεύτησεν*, de una hac re ad Euripidis testimonium recurrere.

Euripidis Meleagrum secundo loco cum Chrysippo Oeneo Syleo actam esse Ol. 84, 3 dicit Hartungus, l. l. p. 135. Unde hoc sciat non addit; neque quicquam quod de ea re certum sit video, nisi quod Meleager ante Aristophanis ranas acta est, quae comoedia Ol. 93, 4, haud multum post Euripidis mortem, edita est. Equidem Euripideam Meleagrum iam ante Sophocleam actam esse inde coniecerim, quod Euripides Meleagridum commutationem non commemoravit. Sed tali ratiocinatione confidentius aliquid proferre non ausim.

Magnam autem laudem honoremque tragoediae Euripideae apud veteres fuisse, e multis commemorationibus recte conclusit Hartungus, quanquam Apollodorus Hyginus Diodorus, quos praeter eos qui fragmenta servarunt scriptores affert, nomen Euripidis non commemorant. Neque video, quo tandem pacto de uno Euripide intellegi debeant verba Aristotelis, poet. 13: „*πρὸ τοῦ μὲν γὰρ οἱ ποιηταὶ τοὺς τυχόντας μύθους ἀπηρίθμουν, νῦν δὲ περὶ ὀλίγας οἰκίας αἱ κάλλισται*

τραγῳδίαι συντίθενται, οἷον περὶ Ἀλκμαίωνα καὶ Οἰδίπουν καὶ Ὀρέστην καὶ Μελέαγρον καὶ Θυέστην καὶ ὅσοις ἄλλοις ἢ παθεῖν δεινὰ ἢ ποιῆσαι."

Sed iam hoc loco de *Attio* pauca afferam. Quem quamvis in rebus primariis Euripidem secutus sit, in non nullis, velut in ipsa venationis descriptione, ab illo recessisse, iam supra monitum est, collata Ribbeckii docta ratiocinatione. Neque igitur certi quicquam ex fragmentis Attianis de fabula Euripidea, neque ex Euripideis de Attio concludi potest. Quod vereor, ut satis caverint Welckerus (l. l. p. 761—763) et ipse Ribbeckius (l. l. p. 341—343, fragm. 163—166).

Certum nihil videtur nisi quod non nulla fragmenta nuntii sunt venationem describentis. Huc pertinent

fr. 4 Ribb. .... frigit aestús rubore ex óculis fulgens flámmeo.

5: Gaúdent currunt célebrant, herbam cónferunt donánt tenent
Pró se quisque eúm corona clárum cohonestát caput.

Et fortasse

17: .... corpús fricantem acútum abstrusum in flúmine.

Ad disceptationem quae est inter Meleagrum et Thestiadas Ribbeckius revocat

7: Rémanet gloria ápud me exuvias dígnavi Atalantaé dare

coll. inc. inc. fr. 103:

Vós enim iuvenes ánimum geritis múliebrem illa virgó viri

et fr. Eur. 523.

Huc referri potest etiam fr. 6:

Cuíus exuvias ét coronam huic múneravit virgini.

Althaeae quae dira animo volvit monologo pronuntiantis esse videntur:

9: Heú! cor ira férvit caecum, améntia rapiór ferorque.

10: Eúm suae vitaé finem ac fati ínternecioném fore
Méleagro ubi ille tórrus esset ínterfectus flámmeus.

11: ... nunc sí me matrem mánsues misericórdia
Cápsit

quocum cf. Eur. 539:

ὁρᾷς σὺ νῦν δή μ' ὡς ἐπράυνας, τύχη.

Titionem in Attiana quidem fabula non coram spectatoribus combustum esse inde conclusit Ribbeckius „quod et morientem ipsum adulescentem noster induxisse et Althaea quam paenituit consilii

servum videatur dimittere qui lignum in sacro fortasse aliquo vicino igni traditum flammis eripiat."

cll. 12: Quae vástitudo haec aút unde invasít mihi?

15: Qui erít qui non me spérnens, inciláns probris,
Sermóne indecorans túrpi fama dífferet?

13: Cave lássitudo póplitum tuum cursúm levet.

14: Labórem aut minuat ítiner ingressúm viae.

Sed de servo certe dubitaverim. De apro dictum est

1: .... frugis perhibet pergrandescere.

De Atalanta

3: Quam invíta ancillans, dícto oboediéns viri.

Denique 8: .... ṭimida elíminor
É clamore símul ac nota vóx ad auris áccidit.

Meleagri uxori tribuerim. Restant

2: Vagént ruspantes sílvas, sectantés feras

16: Érat istuc virile ferre advórsam fortunám facul

de quibus nihil enucleare possum quod probabile videatur.

Denique afferenda est Valckenarii coniectura non inscita, qui Hygini f. 174 Attii Meleagro olim praefixam fuisse opinatus est.

Hyginus enim haec:

„Althaea, Thestii filia, ex Oeneo peperit Meleagrum. Ibi in regia dicitur titio ardens apparuisse; huc Parcae venerunt et Meleagro fata cecinerunt, eum tamdiu victurum quamdiu is titio esset incolumis. Hunc Althaea in arca clausum diligenter servavit. Interim ira Dianae, quia Oeneus sacra annua non fecerat, aprum mira magnitudine qui agrum Calydonium vastaret misit. Quem Meleager cum delectis iuvenibus Graeciae interfecit pellemque eius ob virtutem Atalantae virgini donavit, quam Ideus Plexippus Lynceus, Althaeae, fratres eripere voluerunt. Illa cum Meleagri fidem implorasset, ille intervenit et amorem cognationi anteposuit avunculosque suos occidit. Id Althaea mater audivit filium suum tantum facinus esse ausum: memor Parcarum praecepti, titionem ex arca prolatum in ignem coniecit. Ita dum fratrum poenas vult exequi, filium interfecit. Ad sorores eius praeter Gorgen et Deianiram flendo, Deorum voluntate, in aves sunt transfiguratae quae Meleagrides vocantur: At coniunx eius Alcyone maerens in luctu decessit."

Quae cum fere omnia in Attii et Enripidis tragoedias quadrare videantur atqne Eurytionis caedes a Peleo patrata et Ancaei mors, nt tragoediae convenit, omittantur, tamen commemoratione Meleagrinnm et exceptione Gorgae ct Dcianirae, falso Cleopatrae nomine, toto deniqne narrationis colore impedior, quin Valckenarii coniecturam probabilem pntem; quanqnam non nego, fieri potnisse, nt Attius, qnem in rebns primariis sed non in omnibns Enripidem secutum esse vidimus, Meleagridum commntationem, Euripidi non notam, contaminatione qnadam e Sophocle assumpserit.

Tragicorum Graecorum qui post Euripidem idem argumentum tractarunt, qnod sciam, duo commemorantur:

Antiphon, cuius Meleagri pancos versus servavit Aristoteles, cf. rhetor. II, 2, 19; 23, 20 ibiqne schol. — cf. Welcker, l. l. p. 1042; Nanck, l. l. p. 563.

Sosiphanes. cf. Welcker, p. 1266; Nanck, p. 638.

Tragicorum Latinorum et ***Pacuvius*** et ***Gracchus*** „Atalantam" composuerunt; ntraqne vero crepidata non ad Meleagrum, sed ad Parthenopaeum pertinuisse videtur. De qua re cf. Ribbeck, l. l. p. 265.

Comoediae quae aut aperte ad nostram fabulam revocandae snnt ant saltem ad Atalantam pertinuerunt, commemorantur, quod sciam, hae:

Ἀταλάνται ***Scirae*** cf. Athen. IX, p. 402;

Ἀταλάνται (?) ***Epicharmi*** cf. Welcker, „schnlztg." 1830, p. 446; H. Polman Kruseman, Epich. fragm. p. 6 sq.

(?) *Ἀταλάνται* ***Phormi*** cf. Welck. l. l. Krusem. l. l.

(vet. com.) Atalanta ***Calliae*** cf. Meineke, hist. crit. I, p. 213; II, 2, p. 735; Atalanta ***Strattidis*** cf. Mein. I, p. 221, 225; II, 2, p. 764 sq.; Althaea ***Theopompi*** cf. Mein. I, p. 238; II, 2, p. 792 sq.; Atalanta ***Philylli*** cf. Mein. I, p. 258; Atalanta ***Euthyclis*** cf. Mein. I, p. 269; II, 2, p. 890.

(med. com.) Meleager ***Antiphanis*** cf. Mein. I, p. 304 sqq. 315 sq.; Atalanta sive Meleager ***Philetaeri*** cf. Mein. I, p. 349 sqq.; Atalanta ***Alexidis*** cf. Mein. I, p. 389 sqq. —

Denique ad nostram rem pertinuerunt

Αἰτωλικά Nicandri cf. Athen. VII, p. 296 ***F***; XI, p. 477 ***A***; Schol. Apoll. I, 419; Macrob. Sat. V, 20; cf. Schneider Nic. ther. p. 3.

Αἰτωλικά Dioclis Rhodii cf. Pseudo-Plut. de fluv. 22, 3.

Μελεαγρίς Antisthenis, cuius carminis liber tertius commemoratur Pseudo-Plut. fluv. l. l. cf. Fabric. biblioth. graec. II, p. 699.

II.

Mythum, quem a poetis et persaepe tractatum et multifarie excultum esse vidimus, *artifices* qui poetarum vestigiis in universum insistere solent inde a priscis temporibus repraesentasse videntur.

Constat, *Bathyclem* in exornando solio Amyclaeo etiam venationem Calydoniacam repraesentasse; *Polygnotus* in celeberrima illa necyia non omisit Meleagrum, qui *ἀνωτέρω μὲν ἢ ὁ τοῦ Ὀιλέως Αἴας* collocatus *ἔοικε δὲ ὁρῶντι ἐς τὸν Αἴαντα* (Paus. X, 31).

Parrhasius (pinxit) „in una tabula, quae est Rhodi, Meleagrum Herculem Persea. Haec ibi ter fulmine ambusta neque obliterata hoc ipso miraculum auget.“ Ita Plinius, 35, 69.

Quae imago ob eam causam magnopere memorabilis mihi esse videtur, quod apparet, artificem tres eos heroas, qui alibi nusquam neque in fabulis neque a poetis coniunguntur, non scaena quadam mythica coniunctos remve quandam communiter agentes repraesentasse, sed artificem, cum abstrusiore quadam artis ratione virum robustum, iuvenem, adulescentem una tabula coniungeret, id spectasse, ut aetatem, corporis speciem, ingenium, sortem denique cuiusque herois ea qua excellebat subtilitate in describenda cuiusque rei proprietate, pingendo exprimeret et significaret[1]).

De altera quae ad nostram rem spectat Parrhasii imagine Sueton. Tib. 44. (Tiberius Caesar) „Parrhasii tabulam in qua Meleagro Atalanta morigeratur, legatam sibi sub conditione ut si argumento offenderetur, decies pro ea sestertium acciperet, non modo praetulit, sed etiam in cubiculo dedicavit.“

[1]) Hanc Parrhasii imaginem in Philostr. iun. 15 descriptione repperisse sibi visus est Braudstaeterus l. l. p. 52; quod falsissimum esse iam inde intellegere potuit, quod Philostratus venationem describit et nil habet de Perseo et Hercule. Sed de fictis istis imaginibus nunc post Friederichsii Philostratum ut mihi quidem videtur nullo verbo opus est.

De qua imagine cf. Plin. 35, 36. (Parrhasius) „pinxit et minoribus tabellis libidines eo genere, petulantibus iocis se reficiens.“ Cf. Panofka, „abhandl. d. Berl. akad.“ 1851, p. 1 sqq.[1]).

De *Scopa* Pausanias VIII, 45, ubi de templo Minervae Aleae loquitur, quod Scopas restauravit et signis exornavit, haec:

> *τὰ δὲ ἐν τοῖς ἀετοῖς, ἔστιν ἔμπροσθεν ἡ θήρα τοῦ ὑὸς τοῦ Καλυδωνίου· πεποιημένου δὲ κατὰ μέσον μάλιστα τοῦ ὑὸς τῇ μὲν ἐστιν Ἀταλάντη καὶ Μελέαγρος καὶ Θησεὺς καὶ Τελαμών τε καὶ Πηλεὺς καὶ Πολυδεύκης καὶ Ἰόλαος ..... καὶ Θεστίου παῖδες ἀδελφοὶ δὲ Ἀλθαίας, Πρόθους καὶ Κομήτης· κατὰ δὲ τοῦ ὑὸς τὰ ἕτερα Ἀγκαῖον ἔχοντα ἤδη τραύματα καὶ ἀφέντα τὸν πέλεκυν ἀνέχων ἐστὶν Ἔποχος, παρὰ δὲ αὐτὸν Κάστωρ καὶ Ἀμφιάραος Ὀικλέους, ἐπὶ δὲ αὐτοῖς Ἱππόθους ὁ Κερκυόνος τοῦ Ἀγαμήδους τοῦ Στυμφήλου· τελευταῖος δέ ἐστιν εἰργασμένος Πειρίθους.*

Qua de re quod potest enucleari enucleavit et rem absolvit L. Urlichsius („Skopas im Pelop.“ Gryph. 1853, p. 18—25).

Expectes, celeberrimum illud Scopae opus ad artificia postea facta aliquid valuisse. Sed ex permultis quae nobis servata sunt monumentis nullum ad opus illud referri potest, nisi fortasse unus nummus Tegeaeus, in quo Atalanta aprum vulnerans conspicitur[2]); Ancaeus autem, quem in Epochum innixum tam pulchre finxit Scopas, in monumentis relictis nusquam simili ratione repraesentatus est.

Itaque ex hac quoque re apparet quanta cautio adhibenda sit in revocandis monumentis nobis servatis ad clarissimorum artificum opera quae e scriptoribus nota sunt.

Denique mihi afferendus est locus ille Plinii 35, 6, ex quo apparet fabulam nostram etiam in Italia ab artificibus Graecis[3]) tracta-

---

[1]) De Aristophontis Ancaeo v. O. Iahn, „ber. d. k. sächs. ges. d. wiss. z. Leipz.“ 1848, p. 127. Brunn, „künstlergesch.“ II, p. 53. De Apellis Antaeo vel potius Antaeone cf. Brunn, l. l. II, p. 207. — Feuerbachius, „nachg. schr.“ II, p. 11 apud Plinium 34, 65 Thes*t*iadas legit et hoc Euthycratis opus ad nostram fabulam rettulit; sed obstat quod Plinius hoc opus „proelium equestre“ dicit. — De Thes*p*iadis cf. Brunn, l. l. I, p. 409.

[2]) cf. Eckhel, doctr. n. II, p. 299.

[3]) cf. Abeken, „Mittelital.“ p. 323. Panofka, „Winckelm. progr.“ 1853.

tam esse, etsi non ante urbem conditam, tamen priscis iam temporibus. Plinius namque: „Iam enim, inquit, absoluta erat pictura etiam in Italia. Extant certe hodieque antiquiores urbe picturae Ardeae in aedibus sacris, quibus equidem nullas aeque miror tam longo aevo durantes in orbitate tecti recentes; similiter Lanivii, ubi Atalante et Helena cominus pictae sunt nudae ab eodem artifice, utraque excellentissima forma sed altera ut virgo, ne ruinis quidem templi concussae; Gaius princeps tollere eas conatus est libidine accensus, si tectorii natura permisisset."

Utriusque imaginis rationem Panofka („Winckelm. progr." 1853) explicare scitissime conatus est, scarabaei in quo Atalanta nuda sculpta est similitudine allata (Lippert, II, 58).

III.

In ***monumentis relictis*** is tanquam cursus, quem ars in tractandi mythi ratione gradatim decurrit, cognosci potest, ut lineationes quidem, quo nomine vasa picta, parietum picturas, opera musiva, specula etrusca complector, antiquioribus temporibus poetis epicis, deinde tragicis in universum congruant, denique abstrusiore illa et subtiliore artis ratione quam in Parrhasii pictura cognovimus non certam scaenam mythicam repraesentent, sed herois naturam et sortem habitu et gestu exprimere conentur; anaglypha autem quae nobis servata sunt ad tragicos omnia videntur revocanda esse; statuae denique ad tertiam illam liberioris inventionis rationem factae sunt.

Constat, cum in aliis monumentis tum in *vasis pictis*, praesertim in antiquioribus, et aliarum beluarum et aprorum venationes saepissime repraesentatas esse[1]). Sed cavendum est, ne apri Calydoniaci neve aliam mythicam venationem agnoscamus, nisi vel habitu venatorum vel inscriptionibus vel aperta aequalitate alius picturae inscriptionibus designatae certa fit. Itaque non recte huc rettulit Braunius („annali" 1848, p. 353) vas musei Gregoriani II, 17, neque Panofka

[1]) cf. O. Iahn, „arch. beitr." p. 306, „vasenkat. d. samml. d. königs Ludwig." p. 71. 119. 151. 166.

vas collectionis Pourtalès XI, p. 57 (cf. Gerhard „apul. vas.“ t. *A*, 2, p. 29); neque vas collect. Fontanae a Gerhardo editum „apul. vas.“ *A*, 3 huc referri potest. cf. Gerhard l. l. p. 13. 29.

De aliis autem, velut de pictura apud D'Hancarvillum I, 4, p. 153 (Müller, „denkm.“ I, 93) et venatione illa Thersandri (cf. O. Iahn, cat. vas. mon. p. 211; Feuerbach, „nachg. schr.“ IV, p. 12 sq.) nullo modo cogitari potest. Ubicunque denique unus tantum heros, aut solus aut uno socio astante, aprum occidit, velut apud Dubois-Maisonneuvium „introduct.“ 24, coll. Lamberg. 17, et in vasis Duraudianis 2109 et 1285, et musei Gregor. II, 12, et in aliis multis non de Meleagro et venatione Calydoniaca sed de Theseo Pirithooque eorumque venatione Attica cogitandum est. — Eorum autem vasorum in quibus apri Calydoniaci venatio certo cognoscitur, decem afferre possum exempla, quorum quinque nigris, quinque rubris figuris ornata sunt.

1. Omnium antiquissimum est vasculum quoddam eximium a Maisonneuvio (introd. 61 cf. p. 31) editum, quod ubi inventum sit ubive asservetur editor Franco-gallus non dicit; neque formam ex additis lineamentis intellego. — Aper, ut in omnibus fere quae nobis servata sunt monumentis, in sinistram se proripit; a tergo per venatorem quendam iuvenem hasta simulque a cane invasus, super corpus Ancaei quem occisum prostravit, in reliquos tres venatores incurrit, qui cum cane a sinistra eum invadunt. Eorum primus, quem Meleagrum nomines, duas hastas ambabus manibus in rostrum apri defigit, alter hastam proicit, Atalanta denique quae longissime ab apro abest, sagittam denuo arcu expellit; alia quam emisit sagitta nondum consecuta est aprum, vulneratum iam duobus prioribus Atalantae telis et hasta quam ab Ancaeo emissam putes. — Omnes venatores brevibus astrictisque vestimentis induti crines in nodos coactos habent et imberbes sunt. Meleager et qui eum sequitur venator uterque gladio succincti sunt; ab umero Atalantae, quae ut viri tota nigro colore descripta est, pharetra pendet.

Pictura non facili sed diligentissima manu confecta est; inter figuras quattuor ornamenta rosae vel stellae similia disposita sunt.

Reliqua quattuor vasa figuris nigris ornata, omnia in Etruria reperta magnam inter se habent similitudinem.

2. κύλιξ musei Monacensis a Gerhardo („auserl. vasenb.“ 235,

p. 158) et Braunio („mon. dell' inst.“ IV, 59; „annali“ 1848 p. 349—354 „tazza di Glaukytes ed Archikles“) edita et explicata. cf. O. Jahn, cat. vas. Mon. 353; Brunn, histor. artif. II, p. 691.

Aprum a fronte quinque aggrediuntur venatores, quorum nomina ascripta sunt, Castor Pollux Mopsus Iason Idaeus; a tergo quattuor, quorum nomina: Meleager Peleus Milanio, ***KINO***, quod postremum nomen una certe littera destitutum Gerhardus legit ***KINOΣ***, Braunius autem mirum sane in modum ***KINOI***, hanc formam quandam imperativi a *κίνυμαι* derivatam et quasi ad canes adhortandos additam esse opinatus. Ipsi quoque apro et sex canibus additae sunt inscriptiones; ei qui in tergum apri insiluit nomen est ***ΛΕΥΚΙΟΣ***.

3. 4. Duo vascula musei Berolinensis („*anfore all' egiziana*“) a Gerhardo edita et explicata („etr. u. kamp. vas.“ t. X, p. 11—14, cf. „Berlins antike bildw.“ p. 181, 524).

In altero (G. 2) quattuor venatores aprum aggrediuntur et tres canes quorum unus in beluam insiluit; Ancaeus prostratus iacet. Venatores esse Meleagrum Peleum Iolaum Castorem inscriptiones alterius vasculi declarant, quod eandem prorsus perhibet picturam nisi quod duo venatores additi sunt non nominati, et is canis qui in aprum insiluit deest. — Vasculum inscriptionibus carens paulo diligentius pictum est; itaque pictor rubrum et album colores adhibuit velut in depingendo cane qui in aprum insiluit; utraque autem pictura incultam prisci temporis artem imitatur.

5. Pictura qua collum ornatum est celeberrimi vasis a Clitia et Ergotimo confecti, quod Braunius („monum. dell' inst.“ IV, 54—57, „annali“ 1848 p. 306—382; cf. „bullettino“ 1845, p. 113—119) et Gerhardus („archäol. ztg.“ 1850, t. 24 p. 257—270, 274—278. cf. ib. III, 123, IV, 319. 326) ediderunt et copiose explicaverunt. cf. O. Iahn, cat. vas. Mon. p. 119, p. 152—156; Brunn, histor. artif. II, p. 676.

Nomina venatorum, qui bini progredientes hastis et sagittis aprum invadunt, ex inscriptionibus haec sunt: Meleager Peleus, Atalanta Melanio, Euthymachus, Antandrus Thorax, Aristandrus Arpylea (?); Pollux Castor, Admetus Acastus, Cimmerius, Antimachus Simus (?), Toxamis, Pausileo Cynortes. Ancaeus (***ΑΝΤΑΙΟΣ***) occisus iacet. Etiam sex canibus nomina ascripta sunt; ei qui in aprum insiluit ***ΜΑΡΦΣΟΣ***.

Quodsi haec nomina cum eis comparamus, quae aliis monumentis et a scriptoribus iam laudatis traduntur — quanquam neque ex Apollodoro neque ex Hygino neque ex Ovidio certi quicquam de antiquioribus epicis concludi posse, nunquam obliviscendum est —, apparet, artifices vasis nostri non nulla nomina alibi fere semper commemorata, dico Mopsum Theseum Amphiaraum, omisisse, alia autem de suo addidisse ut heroum sibi notorum velut Acasti, qui alibi nusquam particeps est huius venationis, alia denique finxisse velut Euthymachi Aristandri Thoracis Antandri Arpyleae Antimachi Pausileonis Cynortae Toxamis Cimmerii Simi; quod postremum nomen tamen haud scio an cum *KINO* vasis Monacensis quodam modo comparari possit.

Itaque etiam ex hac vasis parte satis apparet, artifices non esse secutos carmen quoddam, sed eos e fabulis variis ac diversis ea quae placerent elegisse ac multifarie et exornasse et variasse.

6. Vasorum figuris rubris ornatorum antiquissimum, quod prope Caere repertum est, non tam pictura memorabile est paulo tantum exemplis prioribus liberiore, quam ob singularem formam (*„creduto holmos“*) et quod atramento illitum non est. Editum est in museo Gregoriano II, t. 90. (*„figure rossastre in campo cretaceo“*).

Multis picturarum ordinibus ornatum est, qui cum animalia variaque ornamenta tum pugnam de corpore Patrocli et venationem Calydoniacam complectuntur. — Aprum novem viri et Atalanta hastis et trifurcis aggrediuntur. Ancaeus humi prostratus est. Trium canum unus in aprum insiluit.

7. Amphora appula, quondam in collectione Fontanae, deinde Sartorii asservata (cf. „arch. anzeig.“ 1853, p. 402, 10), a Gerhardo edita („apul. vasenb.“ t. *A*, 4. cf. p. 69).

Meleager Atalanta Castor Pollux aprum invadunt; Ancaeus qui imberbis est, mortifero vulnere ictus corruit. — Quam figuram arcu armatam Papasliotis („arch. anz.“ l. l.) virum dicit more Asiatico vestitum, eam Gerhardus sine dubio recte nominavit Atalantam, quae Amazonis habitu repraesentari solet.

8. Amphora appula musei Berolinensis a Gerhardo edita et copiose explicata („apul. vas.“ t. IX, p. 13—15, cf. „Berlin's antike bildw.“ 1022, p. 309—313). Neque tamen duodecim venatorum, qui

venabulis gladiis clavis sagittis feram invadnnt, plures certo nominari posse puto qnam Meleagrnm Atalantam Dioscnros Ancaeum deniqne, qui in dextrum genu procumbens manum e qua bipenuis delapsa est ad pectus vulneratum admovet. Sex canum unus in aprum insilnit.

9. Amphora appula mnsei Berolinensis a Gerhardo edita (l. l. *A*, 5. cf. „Berl. ant. bildw.“ 1003). Meleager et qnattnor venatores nullo modo designati aprum invadunt. Ancaens hasta innixus dextra manu, sinistram apponit ad vulnus acceptnm super genn siuistri cruris quod dolore inflexnm est; imberbis est et gladio snccinctus. Alter venator vulneratns, qnem ex Apollodoro I, 8, 2 Hylenm nomino, in genu procnbnit. Trinm cannm unns sub apro interfectus iacet.

Denique afferenda

10. κύλιξ celeberrima musei Berolinensis a Gerhardo edita („auserl. vasenb.“ IV, 328, „alltagsleb.“ 87, 88, p. 102—104, cf. „fernerer znwachs der königl. vasens.“ III, 1762), cuius interior pars Themide et Aegeo, exterior venationibus Meleagri et Pelei ornata est.

Meleager aprum, quem aure tenet manu sinistra, dextra clava invadit. Reliqui tres venatores certo nominari non possunt. Qnorum quidem duos esse Theseum et Peleum Gerhardus („auserl.“ p. 102. „Themisschale“ Berl. 1846) scite opinatnr qnod cominns Peleus et in interiore vascnli parte Aegeus repraesentati sunt. Sed nullns venatorum barbatns est ut Peleus in altero vasculi parte. Neque heroes hnius picturae — quae omnino non einsdem prorsus elegantiae est, quam in reliqua vascnli eximii parte admiramur — habitu ullo modo designati sunt, ita ut ad nostram rem revocari non posset, nisi nomen Meleagri ascriptum esset: quae inscriptio nunc in ipso vase atramento illita est, sed adhnc perspicue cognosci potest.

Decem vasa hucnsqne allata epicis quidem omnia respondere videntnr, sed progressus artis non solnm ex liberiore lineamentorum dnctu et solutiore venatorum dispositione qui in antiqnioribus vasis aprum dura aeqnabilitate conspiciuntnr aggredientes, intellegitnr, sed etiam ex vario illo modo, quo Ancaeum repraesentari vidimus. Et enim prisca ars Ancaeum aut non repraesentat (cf. 2. 3. 4) aut simpliciter interfectum sub apro collocat (cf. 1. 5. 6); deinde idem vivus adhnc depingitur, sed mortifero vulnere collapsus aut in genu procumbens (cf. 7. 8); deniqne stans adhuc, hasta innixus, capite sub-

misso, crure dolore inflexo, manu ad vulnus apposita (cf. 9). Eademque pictura (9) etsi neglegenter delineata, tamen caeteras ea quoque re superat, quod praeter Ancaeum alter heros vulneratus, Hyleum dico, additus est in genu procumbens, ita ut duorum hominum moribundorum descriptio spectantium oculos teneat.

Alia prorsus fabulae tractatio, quae cum poetas scaenicos auctores habeat, magis ad commovendum animum spectat, in duobus vasis posterioris temporis cognoscitur.

11. Vas Nolanum (ut videtur *„mezanella idria"*) pulchri generis, adhuc ineditum, quondam in collectione Durandiana („catalog. Dur." 252) nunc in museo Britannio asservatum („a catalogue of the greek and etrusc. vases etc. Lond. 1851" 930); quod vas Lenormantus hisce verbis describit, quae cum vas non viderim, ipsa afferre mihi liceat:

„Méléagre et Atalante. La fille de Jasius est debout, les pieds serrés l'un contre l'autre, son vêtement consiste en une tunique talaire recouverte d'un péplus. D'une main elle fait un geste à Méléagre et de l'autre elle tient un arc; un carquois est suspendu sur son dos; un bonnet couvre sa tête, le fils d'Oenée est vêtu d'une tunique courte, habit propre aux chasseurs, et d'une chlamyde dont il tient un bout dans sa main droite; une lance arme sa main gauche. Sa tête est ceinte d'une bandelette et ses jambes sont nues. — R. Althéa mère de Méléagre, vêtue d'une tunique talaire et d'un ample péplus et coiffée d'un bonnet, étend la main droite en avant si elle prenait part à l'entretien d'Atalante avec son amant. — h. 9" 7'''."

Hac pictura scaenam quandam tragoediae Euripideae repraesentatam esse crediderim[1]). Contra ad comicum quendam fortasse potest referri

12. Vas etruscum, ad Perusiam anno h. s. septimo et vicesimo inventum, cuius in altera parte Meleager habitu satyrico Atalantam complectens conspicitur, Althaea astante; in altera Meleager Atalantae apri caput offert et Thestiadarum aliquis eos diiungere vult. — Omnes

[1]) Quod vas Lenormantus cat. Dur. 253 describit, magnopere vereor, ne ad Meleagrum non pertineat, sed ad Achillem. — cf. annal. 1858, t. d'agg. G. — Si ad nostram fabulam pertineret, ad Sophoclis tragoediam esset reiciendum.

figurae nudae sunt et tota repraesentatio delicata est, ita nt vas posteriori tempori ascribendum esse facile intellegatnr. Neque vero id Graecae sed vernaculae Etruscorum artis esse, praeter rationem totius repraesentationis forma et vernix vasis declarant. — Vas ediderunt Vermigliolns („le erogamie di Admeto e di Alceste.“ Per. 1831) Gerhardns („annali“ 1832, t. d'agg. G. cf. 1833, p. 346—357) Inghiramus („vasi fittili“ I, 13 p. 28—34) Panofka („abh. d. Berl. akad.“ 1851, t. I, 1. 2); cf. „bull. Napol.“ II, 153; Feuerb. l. l. „nachg. schr.“ IV, p. 14. — De argnmento pictnrae conferri potest qnod supra de Parrhasii tabella minore monitnm est. —

Picturas parietum duas Pompcianas afferam, in museo Burbonico VII, 2. 18 editas et copiose explicatas. In altera (l. l. 2) Meleager, cuins ad pedes duo canes venatici assident, in lapide quadrato sedens, aprum interfectum hnmi iacentem Atalantae concedit, quae astat vultu hilaro in adulescentem intuens. Hanc rem indignantur qui in dextra imaginis parte magis recedentes conspiciuntnr duo Thestiadae, qnornm alter gladium manu sinistra arripit, quam putat contumeliam ultnrus. Post Meleagrum idolnm Dianae, quae dea beluam immiserat, in columna collocatum est, modio et facibns instructum. Meleager fere nudus est; gladio succinctus dnas hastas manu sinistra retinet; Atalanta tunica amictu petaso quodam vestita pharetra et duabus hastis armata est; Thestiadae fere nndi sunt; alter petaso ornatus est. — Altera pictura (l. l. 18) persimili modo Meleagrum et Atalantam solos perhibet. —

Opera musiva duo mihi nota sunt, quae ad nostram rem certo spectent; alterum Lngdnni repertum, qnod Artaldus („mos. de Lyon.“ 9) et Millinns („gal. myth.“ 146. 149) edidernnt, Meleagrum parum pulchre perhibet Atalantae apri pellem tribuentem, alterum Halicarnassi repertum et nondum editum (cf. „arch. anz.“ 1858, p. 211. „bull. dell' inst.“ 1860, p. 105) ob eam causam memorabile est, qnod in eo Meleager et Atalanta equitantes leonem petunt, liberrima sane fabnlae mutatione; sed eos cognoscendos esse declarant nomina ascripta. —

Speculorum etruscorum Gerhardus („abh. d. Berl. ak.“ 1839 p. 348) sex enumeravit, quae ad nostram fabulam referri possunt; quibus nunc duo adhuc inedita (cf. Gerhard, „über die metallspiegel d. Etrusk. II. abh. d. Berl. ak.“ 1859, p. 471 paralip. 279. 280) addenda sunt (3. 6).

1. speculum collectionis Bartholdianae nunc in museo Berolinensi asservatum, ab Inghiramo („mon. etr.“ II, 2, 89, p. 754—758) et et Gerhardo („etr. spieg.“ II, 173, cf. „mus. Bartold.“ p. 28) editum, venationem Calydoniacam praebet satis neglegenter delineatam; quam quidem cognoscendam esse et ex similitudine quadam vasorum appulorum consequi videtur et ex ea re quod octo venatorum unus, Ancaeum dico, prostratus est et duorum canum unus in aprum insilit.

2. speculum musei Florentini; ediderunt Dempsterus (de Etrur. reg. I, 7) Lanzus („saggio“ XI, 6, p. 170—172) Millinus („gal. myth.“ 409, p. 84) Inghiramus („mon. etr.“ II, 2, 48, p. 475—482). cf. Feuerbach, „annali“ 1843, p. 250; „nachg. schr.“ IV, p. 16. Gerhard „über d. metallspiegel d. Etr.“ II. 1859, p. 471, paralip. 278.

Meleager (*Melakre*) tristi vultu ante aedes sedens conspicitur; circumstant tres viri hastati, Pollux (*Pultuke*), Castor (*Kastur*), Menelaus (*Menle*); namque nomine ascripto *Menle* Menelaum designari, non ut putaverat Passerus (paral. Dempst. 31) Menalippum, ex aliis speculis in quibus de Menelao eadem inscriptione designato dubitari non potest, velut apud Gerhardum II, 197. 207, recte conclusit Lanzus.

Castor tunica chlamyde pilleo, Meleager tunica et pilleo vestiti sunt. Meleagrum propter Dianae iram tristem sedere priores interpretes statuerunt; de necyia quadam Feuerbachius cogitat; sed totam delineationem satis neglegenter factam esse et ex ea re apparet, quod aperto artificis errore non Castor, sed Meleager pilleum habet, et quod Menelaus additus est, quem neque rebus Calydoniacis interesse neque alio modo cum Meleagro coniunctum esse alibi videmus. — Comparandum videtur

3. speculum a Gerhardo l. l. paralip. 280 commemoratum.

4. speculum musei Riccardiani a Gorō (inscript. I, p. 162; mus. etr. II, 2, 126, p. 251), Inghiramo („mon. etr.“ II, 2, 61, p. 521—532), Gerhardo („etr. spieg.“ II, 175) editum.

Iuxta Oeneum senem, qui barbatus et longa veste ornatus sedet, Atalanta stat, cui Meleager apri caput offert; qua re Toxeus, qui manu ad mentum admota assidet, dolet et de ultione cogitat; Oeneus autem filium et uxoris fratrem verbis reconciliaturus esse videtur.

5. speculum in collectione Gerhardi, ab ipso editum („etr. sp.“ II, 174).

Meleager et Atalanta tristes ante Althaeam stant. Similia esse videntur vas ineditum quod supra (11) attuli musei Britannici et

6. speculum a Gerhardo l. l. paralip. 279 commemoratum.

7. speculum musei Britannici adhuc ineditum, cuius inscriptiones sunt ***Athal*** (Atalanta?), ***Melacr*** (Meleager), ***Arthem*** (Artemis?). cf. Gerhard „über d. metallsp." I (1838), p. 348; II (1859), p. 471 paralip. 277.

8. speculum celeberrimum tertio anno ante h. s. prope Perusiam inventum, quod nunc in museo Berolinensi asservatur.

Ediderunt Vermigliolus („iscriz. Perug." I, 2, p. 43—46, cf. „lettera al signor Baglioni" Per. 1800, Millin, „mag. encycl. VIII, 422 arch.") Inghiramus („mon. etr." II, 2, 72, p. 532—559, „gal. om." I, 102) Muellerus („denkm. d. a. k." I, 307, p. 64) Gerhardus („etr. spieg." II, 176, cf. mus. Bartold. p. 26—28). cf. „bull. Napol." III, p. 17. Feuerb. ann. 1843, p. 251, „nachg. schr." IV, p. 16.

Dextra parte conspiciuntur Atalanta sedens et Meleager, super quem apri caput collocatum est, iuxta eam stans; dolere videntur, hic oculis in terram defixis, illa capite averso. Inscriptionibus designati sunt ***Meliacr*** (cf. Uhden apud Vermigl. l. l.) et ***Atlenta***.

Sinistra tres sunt figurae, quarum una Atropos inscriptione ***Atrpa*** designata est; dextra malleum retinet, sinistra „clavum trabalem[1]" quem super caput Meleagri defixura est. Cuius deae fatalis umero mulier vestita rogantis blandientisque gestu manum alteram imponit, altera iuvenem quendam sedentem amplectitur. Dea alis praedita est, quibus spatia inter figuras relicta fere implentur. Super mulierem vestitam duae servatae sunt litterae ꓦT; unde Millinus et Inghiramus feminam Althaeam nominaverunt, quasi ***Altu*** vel ***Alta*** ascriptum fuisset, iuvenem autem Toxeum esse putarunt. Eadem est Vermiglioli et Muelleri explicatio, nisi quod inscriptionem ***Tu*** ad iuvenem rettulerunt, ***Tuxe*** ascriptum olim fuisse opinati.

Quae explicatio quamvis elegans et apta sit dispositioni — nisi quod offendit, Althaeam manum deae imponere —, tamen nullo modo eam ferri posse et mulierem vestitam Venerem ***Turan*** esse rectissime docuit Gerhardus („mus. Bartold." p. 26—28).

[1]) cf. Cic. Verr. II, 5, 21. Hor. carm. I, 35, 18; III, 24, 7 ibiq. interpp. cf. „bullettino Napoletano" III, p. 17.

Cum enim planities speculi, quod mihi ipsi intueri et considerare saepe licuit, ante litteram *T* quidem levis sit, sed post litteram *V* aerugine prorsus laesa: apparet, syllaba *Tu* priorem nominis deleti partem contineri. Itaque Milliui et Inghirami opinio reicienda est.

Neque ullo modo nomen quod mulieri vestitae ascriptum est, in speculo tam eximio ad iuvenem pertinere potest — id quod Vermigliolus et Muellerus putarunt —, immo ipsi iuveni, opinor, nomen quoddam aerugine nunc deletum olim ascriptum erat.

Itaque de nomine *Turan* nullo modo potest dubitari; atque etiam tertiae litterae formam Etruscam D, quanquam aerugine prorsus obducta est, tamen in ipso speculo sub aerugine cognovisse mihi videor.

Iuvenem, cuius inscriptio exesa est, Meleagrum esse eumque hac imagine bis repraesentari, Feuerbachius putavit. Sed neque in caeteris speculis figurae iteratae reperiuntur neque id huic eximiae delineationi convenit. — Scite igitur Gerhardus („etr. spieg." II, p. 6) qui antea („mus. Bart." p. 26) aliam viam ingressus fuerat, iuvenem esse Adonin docuit, de qua re, cum in aliis speculis eodem prorsus modo Venus vestita cum Adoni coniungi solet, dubitari non potest. cf. spec. ap. Gerh. I, 112. 113 et ubi etiam Parca adest 115.

Bini igitur sponsi infelices hac imagine coniuncti sunt; uterque adulescens morti destinatus est a Parca, quae ipsius Veneris precibus commoveri non potest.

Quae in manubrio conspicitur parva figura alata, eam ut omnino non persaepe ita ne in hoc quidem speculo ad repraesentationem primariam referri posse puto.

Hoc autem speculum ob eam quoque causam memorabile est quod in eo clare perspicitur, non mythi cuiusdam scaenam ab artifice esse expressam, sed ex illa postrema artis ratione, de qua iam saepius monnimus, heroas ex variis mythis congestos suo quemque habitu repraesentatos esse.

Anaglyphorum primo afferam ***ectypum figlinum*** in Melo insula repertum, quod L. Rossius museo Berolinensi, ubi nunc asservatur, donavit. Quod opus vere Graecum O. Iahnius („berichte d. königl. sächs. ges. d. wiss. zu Leipzig" 1848, p. 123—130) edidit et tam accurate explanavit, ut perpauca tantum addi possint.

Atque miratus est Iahnius quod Meleager non hasta sed bipenni, Atalanta non arcu intenso sed brevi quodam gladio aprum aggrediuntur, Ancaeus autem non bipenni sed hasta et gladio armatus est; quae arma armis quae a scriptoribus tradi solent non conveniunt. At in talibus rebus non legem quandam ratam secutos esse artifices veteres, sed arma elegisse quae collocationi figurarum et intervallis inter eas relictis convenirent rectissime docuit Friederichsius („Philostr." p. 144); atque id cum omnium venatorum armis perspici potest, tum armatura Atalantae, quae sagittis quidem aprum petere solet ubicunque longius ab eo abest, clava autem vel gladio vel venabulo, ubi propior abest, velut in vasorum quae attulimus exemplo quinto et sexto; itaque securi vel gladio armata in omnibus fere sarcophagis conspicitur et in Romanis et in Etruscis. Ancaeum vero in uno quidem vase bipenni armatum vidimus, in caeteris hasta et gladio; eodemque modo armatus in urnis saepius occurrit. Denique dubitari non potest, quin venatori qui aprum aure iam tenet hasta non conveniat, sed brevius quoddam telum velut clava gladius bipennis; qua re non solum in ectypo, sed etiam in vasorum exemplo decimo, cuius pictura omnino ectypi persimilis est, bipenni armatus est. —

Urnas Etruscas quinque afferre possum musei Volaterrani, quarum imagines extant in academiae regiae Berolinensis apparatu monumentorum Etruscorum.

Quattuor venationem perhibentes magnam inter se similitudinem praebent; tamen ad unum exemplar revocari non possunt, sed illa similitudo ex communi artis Etruscae indole explicanda est, quae summum et nimium corporis motum summamque animi concitationem exprimere amat.

1. app. acad. 294. ined. — Meleager venabulum in collo defigit apri qui a sinistra in dextram se proripiens caput retorquet. Ab altera parte Atalanta accurrit securim ambabus manibus vibrans; aprum duo quoque canes venatici petunt. Post Atalantam venator conspicitur qui, ut Meleager, chlamyde tantum vestitus, sinistra manu scutum retinet, dextram ad caput admovet quasi territus vel vulneratus; qua re haud scio an Ancaeus cognosci possit. Atalanta venatricis habitu, ut solet, repraesentata est.

2. app. acad. 293. cf. Gori, mus. etr. III, 3, 4 (Guarnacci) p. 150.

Aprum a dextra in sinistram se proripientem invadunt Meleager venabulo, Atalanta, quam Gorus Parcam falso nominat, securi, socius quidam gladio, et canis. Alterum socium ei quem modo descripsi prorsus similem Ancaeum nominaverim.

3. app. acad. 291. ined.

Aprum Atalanti securi, Meleager eiusque tres socii hastis aggrediuntur, a tribus quoque canibus petitum. Ancaeum autem belua iam ita prostravit ut eius caput in solum dependeat.

Atque hoc loco in memoriam reduxerim id quod supra de variis modis dictum est, quibus vascularii Graeci Ancaeum aut interfectum aut vulneratum repraesentarunt; nempe habitum tam taetrum quam quem hoc anaglyphum Etruscum praebet, etiam inculta artis Graecae vetustas in depingendo Ancaeo aspernata est.

4. app. acad. 292. ined. cf. Uhden „abh. d. Berl. akad." 1817, p. 36.

Aprum e cavo quodam prorumpentem Atalanta bipenni, Meleager hasta petunt. Ancaeus humi sedet manum sinistram ad vulnus super genu sinistrum acceptum admovens. Post cavum socius quidam galea instructus conspicitur et canis qui aggerem transilire conatur. Alter canis in aprum insiluit quem tertius a fronte petit.

5. app. acad. 295. quam imaginem adhuc ineditam ut tabula huic dissertationi adiecta publici iuris facerem egregia Gerhardi benevolentia mihi concessit.

Est anaglyphum quod iam Uhdenus („abh. d. Berl. akad." 1817, p. 30) breviter commemoravit et recte quidem ad nostram fabulam rettulit, sed quae scaena repraesentata sit non exposuit.

Repraesentatur autem Meleager Toxeo occiso ad parentes rediens, qui filium obiurgationibus excipiunt. Tota repraesentatio, quae moderata concitationis descriptione plurima anaglypha Etrusca superat, in duos partes dividitur. Dextra Oeneus et Althaea regali habitu atque vestitu in solio sedentes conspiciuntur; iuxta eos duo fratres Toxei, quorum alter dolentis habitu manum ad mentum admovet, alter iracundiam vix reprimens, gladium e vagina educturus est. Omnes ira et dolore affecti intuentur in Meleagrum a sinistra parte cum sociis aggredientem; Oeneus cuius umero Althaea manum imponit, sinistra sceptrum retinet, dextram in pugnum compressam filio

minax obtendit. Hic triumphantis habitu aggreditur, apri caput manu sinistra, hastam dextra retinens. Sequuntur duo socii hastis armati, servus, qui duo venabula portat, cum duobus canibus venaticis, Atalanta denique, bipenni armata, laureata ut socii gaudens verbis Meleagri, qui Toxeum se interfecisse et Atalantae amore inflammatum esse confidenter concedere et se defendere videtur. — Totam scaenam ad tragoediam revoco, cui rei convenit, quod omnes fere figurae vestibus amplis ornatae sunt. Memorabile autem est quod hac imagine Oeneus cum Althaea eiusque fratribus stare fingitur, cum alias et in monumentis et apud poetas filio favere videatur.

7. anaglyphum a Lasinio („scult. del campo s. di Pisa“86) editum, magna ex parte laesum, Etruscum est, sed posterioris temporis — id quod ex similitudine sarcophagorum Romanorum subinde laudandis et inde apparet quod septem venatorum unus equitans conspicitur. —

Sarcophagorum Romanorum tres certe quos primo afferam sine ullo dubio ad unum referendi sunt exemplar, plures scaenas complexum, quae in monumentis nobis servatis commixtae et ut ita dicam excerptae sunt. Atque tres scaenae cognoscuntur in

1. marmore Salernitano, quod Gerhardus („ant. bildw.“ II, 166, p. 368) edidit. cf. O. Iahn, „bullettino“ 1846, p. 131. Braun, „antike marmorw.“ II, 6 expl.

Dextra parte Meleager, Atalanta, tres venatores habitu non designati, quinque canes aprum more solito petunt. Atalanta, quae iuxta aprum collocata est, manu sinistra arcum retinet; nec tamen eam manu dextra, quae in marmore praefracta est, arcum intendisse, sed gladio vel simili telo brevi aprum invasisse, et pharetra utpote quae clausa sit et gestus bracchiorum demonstrant.

Post Meleagrum Dioscuri pilleis et equis designati conspiciuntur et in recedente imaginis parte mulier vestita, iratae gestu caput reiciens, quam Althaeam esse Atalantae invidiosam vidit Gerhardus.

Altera in scaena virum barbatum videmus pelle ferina vestitum, caput diademate cinctum, cum totius corporis tum cervicum specie robusta Herculi persimilem, sed bipenni armatum. In dextram partem abscedit, caput retorquens et truci vultu ad Meleagrum respiciens et Atalantam quae Meleagri umero manum imponit. Hunc virum Gerhardus Toxeum appellavit, de qua re infra agendum erit. In re-

cessu socius quidam Meleagri conspicitur, qui Toxeum cum inimicis reconciliaturus esse videtur.

Tertia scaena complectitur Oeneum qui regali habitu, manu sinistra sceptrum retinet, dextram quasi sollicitus ad mentum admovet et figuram Atalantae simillimam nisi quod diademate quodam cincta est.

Hanc figuram Gerhardus Dianam appellat; cum autem plures scaenas commixtas esse videamus, Braunius Atalantam rectius statuisse videtur; neque obstat ornatus capitis. Nam ne eis quidem duabus figuris quibus Atalantae nomen necessario tribuitur, habitus crinium idem est. Denique duo canes, qui ad pedes venatricis sedent, magis Atalantae quam Dianae convenire videntur. Ideoque quae post Oeneum conspiciuntur aedes, quibus Gerhardus fanum Dianae significari putat, regiam nominare malim.

2. 3. Binas scaenas praebent marmor Pamphilianum a Braunio („ant. marmorw." II, 6. cf. O. Iahn, „bull." 1846, p. 131—133) et marmor Pisanum a Lasinio („scult. del campo santo" 116, p. 37) edita.

Dextra parte marmoris Pamphiliani, quod bene servatum est, Meleager venabulo, Atalanta gladio, socius quidam hastis aprum invadunt, qui, a canibus quoque duobus petitus, iam corruit. Venator vulneratus, quem Braunius Ancaeum appellat, sub apro prostratus iacet. Alter venator vulneratus post aprum conspicitur, chlamyde tantum vestitus, fere nudus est; gladio succinctus, sinistra manu hasta nititur, dextram ad vulnus super genu dextrum acceptum admovet; etiam barbatus esse videtur.

In recessu duos venatores clavis et lapidibus armatos videmus qui intervallis explendis inserviunt.

Haec scaena cum altera Dioscurorum figuris coniungitur qui pilleis designati Atalantam et Meleagrum retenturi esse videntur.

Sinistra anaglyphi parte Atalanta et vir ille Herculi similis et Oeneus cernuntur; Atalanta et Oeneus stantes oculos in dextram partem vertunt, in quam abscedit vir barbatus.

Etiam huius partis intervalla tribus viris implentur quorum unus in dextram partem cernit, reliqui duo in Oeneum intuentur.

Marmor Pisanum melius sculptum est quam Pamphilianum, sed peius servatum; praeterea inter se vel simillima sunt, nisi quod in

Pamphiliano Dioscurorum designationi etiam equus accedit et tres ei viri quos proxime nominavimus desunt.

Figurae de quibus agendum est tres sunt: duo homines vulnerati et is quem Gerhardus Toxeum appellat. Eundem enim Braunius Herculem esse putavit. Cum antem Hercules venationis Calydoniacae particeps alibi nusquam commemoretur, hanc difficultatem ita explicare conatur ut Herculem aut neglegentia quadam in venatorum indicibus omissum esse dicat, cum Iolaus Herculis socius perpetuus inter venatores Calydoniacos referri soleat, aut diversorum indicum confusione, cum Argonautarum index, in quo Herculis nomen non deest, cum indice venatorum Calydoniacorum fere congruat. At ita de Herculis nomine celeberrimo statui non licere, neque ei heroi, cuius habitum tam constanter ars retinuerit ac servarit, sine iusta causa bipennem tribui posse, rectissime demonstravit Iahnius. Sed quod nomen ipse, Urlichsio assentiente („Skop. im Pel.“ p. 22), heroi tribuit, id non puto probari posse. Putat enim eum esse Ancaeum, cui scriptores bipennem tribuere solent, ut iam vidimus. Quem autem hominem vulneratum sub apro iacentem Braunius Ancaeum appellavit, eum Iahnius Hyleum nominat; quanquam Braunio concedit, cum plures scaenae commixtae sint, mirandum non esse, si re vera Ancaeus bis effectus assit et ad pugnam egrediens et vulneratus; additque Iahnius, in marmoribus Pamphiliano et Pisano servum potius quam heroa iacentis figura repraesentatum esse sibi videri, Ancaei vulnerati autem figuram necessariam non esse, cum in marmore Salernitano nullus homo prostratus conspiciatur.

At primum quidem — nam de servo trucidato non puto cogitari posse — si Ancaeus bis repraesentatus esset, necesse esset, ut duae figurae eundem habitum praeberent; deinde in omnibus monumentis quae adhuc attulimus Ancaeum — si quidem inter venatores repraesentatus erat — aut vulneratum aut interfectum esse vidimus. Denique si Hyleum appellamus hominem vulneratum sub apro iacentem, et Ancaeum vulneratum adesse negamus: quod tandem nomen alteri illi vulnerato tribuemus in extrema anaglyphi parte dextra post aprum collocato, quem miror Iahnium non animadvertisse?

Qui cum prorsus similis sit figuris Ancaei quales et in vasis et in ectypo figlino ab Iahnio edito invenimus, non dubito quin

Ancaeus sit; alter autem vulneratus sub apro collapsus, quem Ancaeum Braunius dixit, Hyleus est, ut in vase illo appulo (9).

Quoniam igitur venator ille Herculi similis neque Hercules esse possit neque Ancaeus, non video quid obstet, quin Toxeum Gerhardi agnoscamus; nam truci illi Althaeae fratri habitus Herculeus aeque convenit atque gestus irati et caput iactantis, qui praesertim in marmore Salernitano manifestus est.

In sarcophagi Pamphiliani latere altero, quod Gerhardus quoque edidit („ant. bildw.“ II, 116, 4, p. 369), Meleager de apri exuviis cum Thestiadis pugnat, quorum alter mortifero vulnere ictus iam collapsus apri exuvias a Meleagro ereptas manu corripit, alter fratris caedem ulturus Meleagrum invadit. De qua re infra pauca addenda erunt.

In altero latere venatricem sedentem videmus tristi vultu manum genae apponentem. Eam tristi vultu iuvenis intuetur qui chlamyde tantum vestitus astat, dextro pede in sinistro superimposito; manu dextra hasta innititur, sinistra in tergo conquiescit. Inter has duas figuras vir barbatus tunica vestitus conspicitur qui capite in venatricem verso oculos ad caelum tollit, sinistra manu iuvenem monstrat, dextra gladium presse correptum retinet.

Venatricem Braunius Atalantam appellat Meleagri morte dolentem, virum barbatum paedagogum; adulescens quis sit se nescire fatetur. Miror autem quod Braunium praeteriit hunc adulescentem esse Meleagrum; id quod, cum eundem prorsus habitum et statuae et gemmae satis notae perhibeant, dubitari posse non puto. Inde simul apparet, Atalantam non de Meleagro mortuo dolere sed quod Toxeus ei exuvias eripuit; quem autem paedagogum vocat Braunius, haud scio an ipse Oeneus sit Meleagrum incitans ut puellam amatam ulciscatur.

In operculo eiusdem sarcophagi Pamphiliani pompa sculpta est qua Meleagri corpus ad tumulum effertur, iuxta quem Althaea quam socia quaedam impedire frustra studet, ferro se ipsa interimit. Reliquarum quindecim figurarum designari posse puto paedagogum, Dioscuros, duas Meleagrides, Oeneum. Quodsi Braunius de Tydeo cogitat, hoc veri simile esse non puto, cum in tragoediis, quod sciamus, Tydeus cum Meleagro non videatur coniunctus fuisse.

In fronte operculi a sinistra pompae parte vir tristi vultu sedens

conspicitur dei fluvii habitu, quem Braunius Euenum appellavit, a dextra pompae parte mulier quaedam sedet lugentis habitu vestibus tota velata; quam Braunius nympham Calydonis esse putavit. Sed cum eadem mulier velata in anaglypho Barberino, quod infra (11.) afferam, in ipso ordine iuxta tumulum collocata sit, haud scio an aptius Cleopatra cognoscatur; neque obstat quod exadversus Euenus positus est; nam is fluminis quidem numen sed idem gentis regiae auctor est; denique habitus mulieris velatae non prorsus videtur convenire nymphae loci.

Ad tragoediam vero atque ad Euripideam quidem, opinor, quattuor huius sarcophagi imagines revocandae atque ita ordinatae sunt, ut in fronte sarcophagi apri venatio conspiciatur et Toxeus qui Atalantae invidet; in lateribus Atalanta dolens quod Toxeus exuvias ei eripuit et Meleager virginem avunculi caede ulciscens expressi sint; denique in operculo videmus pompam Meleagri et Althaeae mortem voluntariam qua tragoedia finitur.

In lateribus sarcophagi Pisani Meleager sub arbore sedens, ex qua exuviae apri pendent, et servi rete portantes sculpti sunt; in lateribus Salernitani servi cum rete et canibus.

4. marmor quoddam Romanum a Sponio (misc. erud. ant. p. 312) deinde a Montfalcone (antiq. expl. III, 2, t. 178) et in museo Capitolino (IV, pag. 181) editum venationem praebet eis quas tria marmora modo tractata perhibent venationibus persimilem et, opinor, ad idem exemplar referendam. Sed anaglyphum male sculptum videtur neque accurate editum est, ita ut confidentius aliquid dicere non audeam. — Eadem res est de

5. marmore Lugdunensi quod Millinus edidit („voyage au midi de la France" I, 26, p. 535; „gal. myth." II, 103, p. 160). Iniuria autem dubitavit Braunius („ant. marm." l. l.) num ad nostram fabulam pertineat; nam et Ancaeus et Atalanta perspicue cognoscuntur (cf. O. Iahn, „annali" 1845, p. 34). — Quae in lateribus sculpta sunt, ad nostram rem referri posse non puto. — Denique

6. anaglyphum a Lanza editum („palazzo di Diocleziano" XI, 1, cf. p. 15 sq.) quanquam in ea re differt quod Atalanta deest et Dioscuri equitantes sunt, tamen ad idem exemplar refero; nam artifices

veteres archetypum accurate imitari non solitos esse, sed quae sibi placerent elegisse et variasse neminem fugit[1]).

Reliquos sarcophagos Romanos qui ad nostram rem spectant, cum neque nllam difficultatem praebeant et ab editoribus copiosissime explanati sint, breviter commemorasse sufficiat.

7—10. Anaglyphum Borghesianum („mus. Franç.“ I, 111; Bouill. III, 19; Clar. II, 201, 208), Capitolinum (mus. Capit. IV, 35; Millin, gal. 104, 414), Albananse (male a Bartoldo adm. 77, a Zoega, „bassirilievi“ 46, p. 217—222 accurate editum), alterum denique Borghesianum (Bouill. IV, 29; Clar. III, 201, 209), omnia ad unum exemplar rotundum revocanda sunt quod tres scaenas complexum est, quarum in prima Meleager cum avunculis pugnans conspiciebatur, in altera Althaea titionem fatalem Parcis astantibus comburens, in tertia denique Meleager moribundus et circa eum frater, sorores, Atalanta[2]).

11. anaglyphum Barberinum a Bartolo (adm. 78) editum, cuius, pars etiam in museo Capitolino IV, pag. 201 parum accurate expressa est, Meleagri pompam funebrem praebet ei quam in marmore Pamphiliano a Braunio edito sculptam vidimus in omnibus rebus prorsus similem.

Simile fuisse videtur etiam

12. marmor Vaticanum parva ex parte servatum, quod Gerhardus („arch. ztg.“ 1850, t. 20, 2, p. 219—222) edidit et explicavit.

Duodecim igitur sarcophagi Romani omnes quos adhuc attulimus ad tria archetypa referendi videbantur, quorum primum venationem, alterum tres illas scaenas coniunctas, tertium funebria praebuit. Sed animadvertas velim, in operculo sarcophagi Pamphiliani,

---

[1]) Quod anaglyphum Capitolinum (m. Cap. IV, 50) ut a solito more quo venatio repraesentatur prorsus abhorreus affert O. Iahnius („arch. beitr.“ p. 308), id non antiquum est. cf. Platner, „beschr. d. stadt Rom III, 1, p. 196: ***„dieses übrigens schöne werk ist ohne zweifel nicht antik, sondern von der hand eines vorzüglichen meisters des sechzehnten iahrhunderts.“*** De anaglypho apud Lasinium 116 iam supra dictum est.

[2]) cf. Winckelm. III, p. 172 (ed. Eisel.) ibique Meyer. Feuerbach, „nach. schr.“ IV, p. 17. Rotundum fuisse exemplar et ex Atalantae collocatione et ex ea re manifestum fit, quod in anaglypho Borghesiano (Clar. II, 201, 208) scaena secunda in duas partes soluta est quae scaenam primam et tertiam cingunt.

cuius facies ad primum archetypnm revocanda est, et pugnam Meleager adversus avunculos — quae scaena est archetypi secundi — et pompam — quae tertii archetypi est — insculpta esse. Ergo sunt, opinor, tria illa archetypa ad nnnm idemque opus referenda, in qno ita coninncta erant, nt eius operis parti primariae, quae fuit rotnnda, tres scaenae Meleagri pugnantis Althaeae titionem comburentis Meleagri moribundi ordine continuo sculptae tributae fuerint, venatio autem et pompa aliis eiusdem operis partibus insertae fuerint. Itaqne hoc opere tota continebatur fabula qnalis aut ab ipso Euripide aut certe a poetis Euripideam potissimnm tragoediam secutis exculta erat.

Duo anaglypha

13. 14. quae ad opns illud archetypum referri nequeunt, pridem Winckelmannus ad nostram fabulam recte revocavit et explanavit („mon. ined.“ 87, 88).

Alterum („mon. ined.“ 87) Meleagrum repraesentat cum, astantibus sororibus, a Cleopatra uxore tandem commotus, arma arripit, ut hostes in thalamum iam irruentes repellat.

In altero (88) Meleager, postqnam ex matris execrationibus in pugna cecidit, moribnndus a sociis e tumultn proeliantium effertur in nrbem, e qna pater iam accurrit ut filii corpus excipiat. Explicatio antem certa fit ea re, quod clipens, in quo invenis aprum venabulo excipiens conspicitur, apto loco ab ipso artifice insertus est.

Utrinsque anaglyphi argumentnm Winckelmannns ex Homero petitnm esse statuit, non prorsus accnrate, nam de interitu Meleagri nihil est apud Homerum; neque hoc artis genus epicos seqni solet, sed tragicos. Atqne cum utrumque anaglyphnm plane conveniat ei argumento quod Sophoclis fnisse snpra demonstravimns, non dubito quin utrumque ad tragoediam Sophocleam revocandum sit.

Quattuordecim igitur sarcophagorum Romanorum duodecim ad Euripideam dno ad Sophoclis Meleagrum pertinent.

Restat opns ab artifice graeco temporibus imperii romani confectum,

15. sarcophagus ille Delphicus, qui ab anaglyphis hncusque allatis prorsus differt. Et enim quod in eius facie scnlptum est anaglyphum in dnas scaenas dividendnm est, quarum in altera venatio apri cognoscitur, in altera quoad ex delineatione (ἐφημερὶς ἀρχαιο-

λογική 28, 1026. cf. Ulrichs, „reisen u. forschungen" p. 44) iudicari licet, Toxeus cum sociis apri exuvias Atalantae quae tristi vultu astat ereptas secum portantes repraesentati videntur. In latere eiusdem sarcophagi (*ἐφημ.* 1027) insculptam crediderim repraesentationem Meleagri qui matrem insectatur ad aram fugientem ut titionem manu retentum comburat. Sed cum delineatio sarcophagi tam perfracti ut eius partes certo conglutinari posse non videantur cum descriptione Bursiani, („arch. anzeig." XII, p. 480) prosus non conveniat, atque utrumque parum accuratum esse dicatur (Conze e Michaelis, „viaggio nella Grecia nel 1860" p. 63) de pulchro illo opere confidentius quicquid proferre non ausim. —

Iam *statuae* quattuor commemorandae mihi sunt quae certo ad Meleagrum referri possunt. Quarum una, quod sciam, adhuc inedita et brevibus tantnm commemorationibus nota[1]) in museo Burbonico asservatnr; caeterae tres, quae sine ulla dubitatione ad unum exemplar revocandae sunt, celeberrimae sunt atque de eis quidem Feuerbachius l. l. ita exposuit ut nihil ad dicendnm relinqueret; atque qua erat iudicii elegantia duas rationes scite disiunxit, quibus Meleagri persona ab artificibus repraesentari potuit; alteram qua venatoris robusti, alteram qua adulescentis immaturam mortem occumbentis speciem prae se fert.

Et durior illa quidem et grandior ars, qua tanquam victoria et audacia elatus fingitur iuvenis, in statua pulcherrima cognoscitur, quae a. h. s. duodequadragesimo prope S. Marinellam reperta, nunc, ab Aemilio Wolffio pulchre et sine dubio recte instaurata, in museo Berolinensi asservatur.

Edita est „monum. dell' inst." III, 48; Feuerbach, „nachg. schr." t. 1. — cf. „verzeichn. d. ant. bildh. d. Berl. mus." 33.

Mollius vero artis genus praebet statua Vaticana, quam cum ex omni parte nimia fere concinnitate confectam esse dicunt, tum pulchritudinem capitis laudant quod diligentius quam reliqnum corpus sculptum est — id quod in statuis posterioris temporis saepius oc-

---

[1]) Gerhard, „Neapels ant. bildw." p. 75, n. 243: „*Meleager* (*rosso antico* 4⅓'). *Der eberkopf auf dem daneben stehenden stamm sichert die benennung dieser wohlgearbeiteten figur, deren linke hand auf ihm ruht. — Schenkel, beine und rechter oberarm sind neu.*" cf. Feuerb. l. l. p. 21.

currit, velnt in Apolline Vaticano. Edita est „annali dell' inst." 1843, t. d'agg. H.; Pio-Clem., II, t. 34, p. 236—246. cf. Braun, „ruinen u. museen Roms." p. 294 sq.

Denique statua Borghesiana, quam minns egregie factam esse dicunt, tanquam media est inter duas priores; neqne vi ac granditate Berolinensem adaeqnatur neque venustate Vaticanam.

Edita est „annali" 1843, t. d'agg. I.

Unam quaestionem intactam reliquit Feuerbachius, quid de archetypo ad quod statuae servatae factae sunt sentiendnm sit. Atque apparet quidem Berolinensem statuam archetypo illi vel simillimam esse; sed cnm neque Borghesianam Vaticanamve statuas ipsas considerare mihi liceret neque ex gemmis[1]) neque ex nummis[2]) certius quicquam efficere posse mihi videar, hanc quaestionem nunc mittendam mihi esse puto.

---

[1]) *Gemmas*, quae ad nostram rem certo pertinent et ad statuas quidem referendae sunt, afferre possum hasce:

coll. Berol. catal. Toelken IV, 2, 161. 162. 163. 164. 165. 166. 167 [= Lippert 66]; 168 [de qua gemma mirum sane in modum egit Panofka, „abh. d. Berl. akad." 1851, p. 33]. 169 [= Cades III, 106?].
coll. Petropol. XX, 42; XXVIII, 24; XXX, 44.
coll. Hafn. Thorwalds. cat. L. Mueller 859. 860.
coll. Holl. cat. Ionge 855 [= Lippert I, 47?].
„impr. gemm. dell' instituto" 1829. I, 71.

[2]) Mionnet II, p. 87 (2); (3) [= Landon, „numism. du jeune Anach." I, pl. 34?] (4) in quibus adulescens habitu venatorio, baculo vel venabulo quodam innixus, altero pede in saxo posito conspicitur, quem Meleagrum appellare solent.

VITA.

Renardus Kekule natus sum Darmstadii a. h. s. XXXIX, d. VI. mens. Mart. parentibus Carolo, iuris consulto patronoque, qui mihi parvulo morte ereptus est, et Maria e gente Volhard; fidei ascriptus sum euangelicae; gymnasium frequentavi urbis patriae. A. h. s. LVII maturitatis testimonio instructus Erlangam me contuli ibique per tria semestria scholis Doederlini Friederichsii Naegelsbachii interfui; deinde Gottingae per sex menses audivi Curtium Leutschium Sauppium Waitzium; denique Berolinum profectus per quattuor semestria praeceptoribus usus sum Boeckhio Boppio Droyseno Friederichsio Gerhardo Hauptio Trendelenburgio Webero.

Quibus viris omnibus bene de me meritis gratias ago quam maximas, imprimis Gerhardo Friederichsioque, quorum egregiae humanitati et benevolentiae quantum debeam non est huius loci laudibus persequi.

THESES.

1. Soph. Oed. Col. 1466:
   ἔπτηξα θυμόν· οὐρανὶς γὰρ ἀστραπὴ φλέγει πάλιν.
2. Soph. El. 28:
   ἡμᾶς τ᾽ ὀτρύνεις κἀυτὸς ἐν πρώτοις πονεῖ.
3. Soph. El. 192:
   Iniuria in dubitationem vocatur codicum lectio
   κεναῖς δ᾽ ἀμφίσταμαι τραπέζαις.
4. Trog. Pomp. prol. V:
   Hinc repetitum in excessu Cyri cum fratre bellum et Graecorum qui sub eo militaverant ***receptus***.
5. Nationum Graecarum diversitates ad artis statuariae et sculpturae discrimina valuerunt.
6. *a*) Archetypum ad quod Apollinis statuae Vaticana et Petropolitana (in collectione Stroganoff) revocandae sunt, signum aeneum fuit non ante Alexandri Magni aetatem factum, quo deus sagittam emissurus repraesentatus est altitudine naturali.

   b) Signum Petropolitanum, habitu et parergis archetypi modice mutatis, Apollinem cum Marsyae exuviis ingredientem repraesentare videtur.

   c) Statua Vaticana Apollo arcitenens repraesentatur ut in archetypo.

de fabula Meleagrea pag. 46

